image
not
available

OFFICIA

PROPRIA SANCTORUM

ECCLESIAE PUTEOLANAE

A SACRA RITUUM CONGREGATIONE RECOGNITA, ET ADPROBATA; NEC NON ALIA JAMDIU PRO ALIQUIBUS LOCIS ADPROBATA, EX EJUSDEM S. R. CONGREG. INDULTO AD CIVITATEM, ET DIOECESIM PUTEOLANAM NOVISSIME EXTENSA.



S. Procolo Mar. Prot. di Poz.

NEAPOLI

EX TYPIS JANUARII AGRELLII.

MDCCCXLV.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua . . . . Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Eccles. Cap. XLIV.

Qui Sanctorum merita religiosa caritate miratur, quique justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos, atque justitiam imitetur. S. Joan. Chrys. serm. de Martyr. Tom. 3.

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM
ECCLESIAE PUTEOLANAE

Festa Februarii. — DIE I. FEBRUARII.

IN FESTO

S. IGNATII EPISC. ET MART.

Duplex. Omnia, ut in Breviario Romano.

DIE III. FEBRUARII.

IN FESTO

S. BLASII EPISC. ET MART.

Patroni minus Principalis Civitatis, et Dioecesis Puteolanae. Duplex majus.

Omnia de comm. unius Mart. praeter sequent.

Oratio.

Deus, qui Beatum Blasium Martyrem tuum, atque Pontificem in suis perferendis suppliciis, et in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti: concede propitius, ut illius et in fide constantiam imitemur, et in periculis patrocinia sentiamus. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. *A Mileto*, de comm. unius Martyris. Pont.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Blasius Cappadox, nobili genere ortus, Sebaste in Cappadocia ex Medico Episcopus creatus est, ut cor-

porum curationi animarum cura succederet. Huic muneri cum sedulam, ac piam operam navaret, dira tempestas adversus Christianos a Licinio Tyranno excitata fuit. Blasius divino instinctu, Christi consilio, et exemplo in montem Argaeum se recepit, ac sese in speluncam abdidit, in qua rerum divinarum contemplationi vacans, ab ipsis feris, nativae feritatis oblitis, quotidianum victum accepit, et multis obsequiis cultus est.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et.

LECTIO V.

Ibi tamdiu latuit, dum ab Agricolai Praesidis militibus casu deprehensus, inde abstractus, et ad Praesidem ductus, illius jussu in vincula conjectus est. Sed vinctus ipse multos, quos ejus sanctimoniae fama acciverat, a diversorum morborum vinculis liberavit. In his puer fuit, qui desperata a medicis salute, transversa spina faucibus inhaerente, animam agebat. Illustris sane tum corporum, tum animarum medicus, non humana, sed divina arte, non paratis a natura remediis, sed Christi gratia comparatis, aegros pristinae saluti restituit, omni fere miraculorum genere conspicuus; nam Christi super aquas ambulantis, et Eliae Sareptanae viduae annonam multiplicantis miracula renovavit.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

LECTIO VI.

Atrocissimis tormentis, crudelissimi Praesidis jussu, cruciatus fuit. Duris verberibus caesus, tortus in equuleo, pectinibus ferreis dilaniatus, candenti lorica indutus, aliisque exquisitissimis suppliciis affectus est. Sed ejus fides probari quidem potuit, non tamen vinci. Dilacerato corpore, infractus animus restitit. Tandem victo Tyranno, capite plexus, illustre fidei testimonium Ecclesiae reliquit tertio nonas Februarii, anno Christi trecentesimo decimo sexto.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae, et intellectus, et aqua Sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.
cap. 10.

LECTIO VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum persequentur vos in Civitate ista, fugite in aliam. Et reliqua.

Homilia Sancti Athanasii Episcopi.

In Apol. de fuga sua ante medit.

In lege praeceptum erat, ut constituerentur Civitates refugiorum, ut qui quomodocumque ad necem quaererentur, servari possent. In consummatione porro saeculorum, cum advenisset illud ipsum Verbum Patris, quod Moysi antea locutum fuerat, rursus praeceptum dedit: Cum vos, inquiens, persecuti fuerint

in Civitate ista, fugite in aliam. Pauloque post subjicit: Cum videritis illam abominationem desolationis, quae dicta est per Danielem Prophetam consistentem in loco sancto, (qui legit, intelligat) tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes, et qui in tecto est, ne descendat tollere aliquid de domo sua; et qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam.

℟. Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

LECTIO VIII.

Haec cum scirent Sancti, ejusmodi tenuerunt suae conversationis institutum. Quae enim nunc praecepit Dominus, eadem quoque ante suum in carne adventum locutus est in Sanctis: et hoc institutum homines ad perfectionem ducit. Nam quod Deus jusserit, id omnino faciendum est. Ideoque et ipsum Verbum propter nos homo factum non indignum putavit, cum quaereretur, quemadmodum et nos, abscondere se, et cum persecutionem pateretur, fugere, et insidias declinare; cum autem a se definitum tempus ipse adduxisset, in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, ultro seipsum tradidit insidiantibus.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine Sanguinem suum fudit: Qui minas judicum non timuit, nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad Caelestia Regna pervenit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

LECTIO IX.

At vero sancti homines, cum hanc quoque formam a Salvatore didicissent, (ab ipso enim et antea, et

semper omnes docebantur) adversus persecutores, ut legitime certarent ; fugiebant, et ab illis quaesiti se abscondebant. Cum enim praestituti sibi a divina providentia temporis finem ignorarent, nolebant insidiantibus se temere tradere: sed contra, cum scirent quod scriptum est, in manibus Dei esse hominum sortes, et Dominum mortificare et vivificare: potius in finem usque perseverabant, circumeuntes, ut ait Apostolus, in melotis, et pellibus caprinis, egentes, angustiati, in solitudinibus errantes, et in speluncis, et cavernis terrae latentes, quoad vel definitum mortis tempus veniret, vel qui tempus ipsum definierat Deus, cum eis loqueretur, et insidiantes cohiberet, aut certe persecutoribus eos traderet, utcumque illi placuisset. Te Deum, etc.

In II. Vesp. fit comm. S. Andreae Corsini Ep. et Conf.

DIE VI. FEBRUARII.

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT CONF.

Semid. hic assign. ex 23. Januarii. Omnia, ut in Breviario Romano.

DIE XIV. FEBRUARII.

IN FESTO

S. VALENTINI MARTYRIS.

Duplex.

Cujus Corpus in Cathedrali Ecclesia asservatur.
Omnia de communi unius Mart.

Oratio.

Praesta, quaesumus, Omnipotens Deus, ut qui B. Valentini Martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus ejus intercessione liberemur. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Si venerit in Quadragesima Lectiones de Epist. ad Rom. Fratres debitores *de com. plur. Mar. alias de Script. occur.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Quo tempore Claudius insequebatur Christianos, Valentinus Presbyter magna virtute, et singulari morum sanctitate Romae florebat. Hunc ergo jussit Imperator comprehendi, et in carcerem trudi catenis, et compedibus vinctum. Biduo autem post eum coram se arcessitum summa excepit humanitate, magni eum se facturum pollicitus, si Christiano cultu abdicato, ad cultum Idolorum accessisset. At renuens Valentinus aures praebere Imperatoris illecebris, et magna animi constantia veritatem Christianae Religionis propugnans traditur est Asterio judici, qui in ipsum inquireret.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et.

LECTIO V.

Incredibile dictu est, quibus artibus curavit Asterius constantem ejus animum vincere, et ad suas partes adducere. Cumque illum in proposito obfirmatum videret, magna eloquentia Christum, tanquam veram Mundi lucem praedicantem, tunc se in Christum crediturum promisit, cum sua quaedam adoptiva filia, quae duos jam annos capta erat oculis, lucem adspiceret. Quo audito, laetus Valentinus enixe Deum rogavit, ut

qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, is clausos puellae oculos aperiret.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

LECTIO VI.

Cumque illico per signum Crucis visum nacta esset puella, ad Deum se convertit Asterius, ejusque est fidem amplexus tum ipse, tum familia tota, quae Idolorum ejuratis erroribus, per ejus manus sacro baptismatis fonte ablui voluit. Sed iratus hoc nuncio Imperator jussit Valentinum fustibus caedi, et Via Flaminia extra Urbem capite obtruncari, ut XVI. Calendas Martias factum est. Cujus sancti viri corpus collectum a quadam muliere, ibique ubi decollatum fuerat, reconditum, fuit postea a Julio Papa magnifice habitum, nobili extructa in ejus honore Ecclesia.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae, et intellectus, et aqua Sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.
cap. 10.

LECTIO VII.

In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in Terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi.
cap. 10.

Quae ista divisio est? inter prima enim legis praecepta accepimus; honora Patrem tuum, et Matrem tuam, et ipse Dominus ait. Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Quid sibi vult missus potius gladius in Terram, et separatus a Patre filius, et filia a Matre, et Nurus adversus Socrum, et Hominis domestici ejus inimici? Igitur exinde publica auctoritas impietati profertur. Ubique odia, ubique bella, et gladius Domini inter Patrem, et filium, et inter filiam, Matremque desaeviens.

℟. Corona aurea super caput ejus: * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

LECTIO VIII.

Gladius telorum omnium telum acutissimum est, in quo fit jus potestatis, et Judicii severitas, et animadversio peccatorum. Et hujus teli nomine novi Evangelii praedicationem appellatam, frequens in Prophetis auctoritas est. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio, qui gladius missus in terram est, idest praedicatio ejus hominum cordibus infusa. Fitque gravis in domo una dissentio, et domestica novo homini erunt inimica; quia ille per verbum Dei divisus ab illis manere et interior, et exterior, idest Corpus, et Anima in spiritus novitate gaudebit.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine Sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad Caelestia Regna pervenit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Si hoc festum venerit in Quadragesima nona Lectio erit de Homil. fer. occur.

LECTIO IX.

Pergit deinde eodem Praeceptorum, et intelligentiae decursu; nam posteaquam relinquenda omnia, quae in saeculo carissima sunt, imperaverat, adjecit: Qui non accipit Crucem suam, et sequitur Me, non est me dignus. Quia qui Christi sunt, crucifixerunt Corpus cum vitiis, et concupiscentiis. Et indignus est Christo, qui non Crucem suam, in qua compatimur, commorimur, consepelimur, conresurgimus accipiens, Dominum sit sequutus, in hoc Sacramento fidei spiritus novitate victurus.

Te Deum laudamus.

DIE XVI. FEBRUARII.

IN FESTO

S. ONESIMI EPISC. ET MART.

Duplex.

Omnia de comm. unius Mart. praeter lectiones secundi Nocturni.

Oratio.

Infirmitatem nostram, etc.

IN I. NOCTURNO.

Si venerit in Quadrag. Lectiones de Actibus Apostolorum A Mileto Paulus; *alias de Script. occur.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Onesimus Ephesiorum Episcopus, quem S. Ignatius Martyr praeclare commendat, primum Beati Phile-

monis servus, deinde Sancti Pauli carissimus Discipulus, cum Colossis Romam venisset, ad Apostolum Domini sui Praeceptorem accessit, a quo fidei Christianae lucem, ac Baptismi beneficium accepit. Ad herum redeunti praedicationis verbum commisit Apostolus, et epistolam ad Philemonem tradidit propria manu conscriptam, in qua filium, fratrem, et viscera sua his verbis commendat. Obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit; nunc autem et mibi, et tibi utilis, quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera suscipe, quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii. Illum recipe jam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem, maxime mihi.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit illi claritatem aeternam.

LECTIO V.

Dignum porro se tanti Magistri probavit Onesimus Discipulum, multis etenim peragratis regionibus, cum Christi fidem propagasset, et Ephesiorum Ecclesiam post Sanctum Timotheum regendam suscepisset, propter ejusdem fidei confessionem Romam ab Asiae Proconsule missus, oratione, et jejunio se ad pietatis studium, et Martyrii agonem praeparavit. Coram Tertullo Praefecto inde vehementius accusatus, quod uxorem fratris sui Christi fidem, et continentiae virtutem docuisset, tamquam impius praestigiator ad Tribunal, ubi simulacrorum cultus vanitatem, et Christianae fidei veritatem constanter asseruit. Hinc in tenebrosum conjectus carcerem, variisque per viginti ferme dies afflictus tormentis, ut ad impietatem Christi fidem traduceret, cum nihil carnifices proficerent,

sub specie clementiae e carcere dimissus, ab urbe jubetur abscedere.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei, Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

LECTIO VI.

Ille vero cum Apitione strenuo in Christi fide commilitone Puteolos profectus non cessabat vivificam Christi praedicare gratiam, et complures ad veritatis agnitionem perducere. Quod ubi rescivit Tertullus, missis satellitibus ad se reduci imperat: atque illi quidem Sanctorum manus lignis affigentes, illasque in dorso torquentes, eo modo ad Praefectum perduxerunt. Videns demum Tertullus Onesimum a fide discedere nolle, imo liberius, et constantius Christum Deum praedicare, virgis caesum, membratim contusum, postremo lapidibus obrui praecepit. Ejus Reliquias pia foemina Imperatoris Trajani, sub quo passus est, consanguinea, theca argentea conclusit, quae deinde Ephesum, ubi Episcopus ordinatus erat, translatae sunt.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae, et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et. Gloria Patri. Et.

IN III. NOCTURNO.

Homil. Sancti Gregorii Papae. *in Evang.* Si quis venit ad me, *ut in comm. unius Mar.*

Nona Lectio de Homil. fer. occur. si venerit in Quadrag.

DIE XXVII. MARTII.

IN FESTO

S. ALEXANDRI MARTYRIS.

Duplex.

Omnia de comm. unius Martyris praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Praesta, quaesumus, Omnipotens Deus, ut intercedente B. Alexandro Martyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum nostrum.

IN I. NOCTURNO.

Se celebretur in Quadrages. Lectiones de Epist. B. Pauli Apostoli ad Rom. *Fratres debitores sumus* de comm. plur. Mar. Si vero tempore Paschali lectiones de script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Alexander, quem civem suum asserunt Puteolani, cum Berianum Comitem cum sua cohorte Romae Idolis immolantem liberrime increparet, a satellitibus comprehensus ad Maximianum Imperatorem adductus est. In illius conspectu cum Christianum se esse palam profiteretur, et variis artibus, modo promissis praemiis, modo poenis objectis, ut fidem abnegaret, diu tentaretur, in Caelum aspiciens, vidit Dei filium, a cujus conspectu ita facies ejus mirifice radiabat, ut illum avertere Imperator a Christiana Religione omni-

no desperaret. Quamobrem Tiberiano Tribuno traditus est, ut longo, et aerumnoso itinere Byzantium adduceret.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit illi claritatem aeternam.

LECTIO V.

In via vario, atque acerbissimo poenarum genere affectus, primum diu tortus est, saxis ingentibus ad pedes ejus appensis, deinde in equuleo nervorum compages, artuumque solvuntur, tum ardentibus admotis facibus latera aduruntur, et demum spineis virgis caeditur, matre ejus Poemenia semper sequente, et filii cruciatus conspiciente. Cum autem Philippos venisset, Christiani, qui in ea Urbe vivebant, occurrentes, ejus vincula osculabantur. Ad Beriae Urbem aquae penuria laborantem, postquam limpidum fontem suis precibus eduxisset, dum impii satellites ferventis olei inspersione illum cruciare aggrediuntur, id in ipsos transfusum mirabiliter eosdem absumpsit. Postremo cum Drisiparam Thraciae Urbem appulisset, ad praeterfluentem fluvium capite obtruncatus Martyrii coronam gloriose consequutus est.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei, Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

LECTIO VI.

Honorifico illic donatus sepulcro magna colebatur veneratione, donec sub annum Christi sexcentesimum Chajanus Rex Avarum, vir ferox, et barbarus infe-

riorem Pannoniam invadens, Drisiparam Urbem depopulatus, Sancti Alexandri Ecclesiam incendit, illius sepulcrum argenteo coopertum tecto spoliavit, ipsumque Corpus indignis affecit injuriis. Deus autem sui Martyris injurias ulciscens, pestilentiam languoris barbaris immisit, et septem filios Chajani uno die per febrem, et inguinariam passionem, magnamque exercitus partem occidit ita, ut post triumphale gaudium de partis contra Romanos victoriis, lacrymae, et luctus sine consolatione barbaros possiderent.

℞. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae, et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et. Gloria Patri. Et.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.
cap. 10.

LECTIO VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nihil est opertum, quod non revelabitur: et occultum, quod non scietur. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. c. 10. med.

Dominus diem judicii ostendit, quae abstrusam voluntatis nostrae conscientiam prodet: et ea, quae nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicae deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas: quia dies judicii nulla haec fuisse, atque inania revelabit. Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in

aure auditis, praedicate super tecta. Non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, et doctrinam in tenebris tradidisse: sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebrae sunt, et verbum ejus infidelibus nox est.

℟. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa signo.

LECTIO VIII.

Itaque id, quod a se dictum est, cum libertate fidei, et confessionis vult esse loquendum. Idcirco, quae in tenebris dicta sunt, praedicari jussit in lumine: ut quae secreto aurium commissa sunt, super tecta, idest, excelso loquentium praeconio audiantur. Constanter enim Dei ingerenda cognitio est, et profundum doctrinae Evangelicae secretum in lumine praedicationis Apostolicae revelandum: non timentes eos, quibus cum sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est: sed timentes potius Deum, cui perdendae in gehenna et animae, et corporis sit potestas.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad Caelestia regna pervenit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, Qui. Gloria Patri. Qui.

LECTIO IX.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, neque ullus interimendae carnis admittendus est dolor: quando pro naturae suae, atque originis conditione

resoluta, in substantiam spiritualis animae refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam confitendi Dei habere constantiam; etiam conditionem, qua teneremur, adjecit: negaturum se eum Patri in caelis, qui se hominibus in terra negasset: eum porro, qui confessus coram hominibus se fuisset, a se in Caelis confitendum: qualesque nos nominis sui testes hominibus fuissemus, tali nos apud Deum Patrem testimonio ejus usuros.

Te Deum laudamus.

Nona Lectio erit de Homil. feriae occ. si celebretur in Quadrag. Si autem celebrabitur tempore Paschali, omnia dicuntur, ut in comm. Mar. temp. Pasch.

FESTA APRILIS

DOMINICA III. POST PASCHA

IN FESTO

SANCTI RAPHAËLIS ARCHANGELI.

Patroni minus Principalis Civit. et Dioec. Puteolorum.

Duplex majus.

Ad Vesperas Antiphona.

Missus est Angelus Raphaël, *cum reliquis de Laudibus.*

Psal. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi.*

Psal. Laudate Dominum omnes Gentes.

Tob. 12.

Capitulum.

Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

HYMNUS.

Tibi Christe splendor Patris,
Vita, virtus cordium,
In conspectu Angelorum
Votis voce psallimus:
Alternantes concrepando
Melos damus vocibus.
Collaudamus venerantes.
Omnes Caeli principes,
Sed praecipue fidelem
Medicum, et Comitem
Raphaëlem, in virtute
Alligantem daemonem.
Quo custode procul pelle,
Rex Christe piissime,
Omne nefas inimici
Mundo corde, et corpore
Paradiso redde tuo
Nos sola clementia.
Gloriam Patri melodis
Personemus vocibus:
Gloriam Christo canamus,
Gloriam Paraclito:
Qui trinus, et unus Deus
Extat ante saecula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi, Alleluja.
℟. Habens thuribulum aureum in manu sua, Alleluja.

Ad Magnificat. *Antiphona.*

Ego sum Raphaël Angelus, qui asto ante Dominum, vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus. Alleluja.

Oratio.

Deus, qui beatum Raphaëlem Archangelum Tobiae famulo tuo Comitem dedisti in via : Concede nobis famulis tuis, ut ejusdem semper protegamur custodia, et muniamur auxilio. Per Dominum.

Ad Mat. Invitatorium.

Regem Archangelorum Dominum, * Venite adoremus. Alleluja.

Psalm. Venite exultemus.

1. *Hymnus.* Tibi Christe, *ut supra in Vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Antiphona. Multa magnalia de Raphaële Archangelo, qui coeco lumen reddidit : Saram liberavit a Daemone, et Tobiam cum salute reduxit ad propria. Alleluja.

Sub unica tantum Antiphona dicuntur Psalmi cujuslibet nocturni.

Psal. Domine Dominus noster. In Domino confido. Domine quis habitabit, ut in festo Apparitionis S. Michaëlis Archangeli die 8. *Maji in Breviario.*

℣. Data sunt Angelo incensa multa, alleluja.

℟. Ut adoleret ea ante altare aureum, quod est ante oculos Domini alleluja.

De libro Tobiae.
cap. 12.

LECTIO I.

Vocavit ad se Tobias filium suum, dixitque ei : Quid possumus dare viro isti Sancto, qui venit tecum? Et respondens Tobias, dixit Patri suo: Pater,

quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Me duxit, et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et Daemonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen Caeli, et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad haec poterimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quae allata sunt, sibi assumere.

℟. In illo tempore exauditae sunt preces amborum in conspectu gloriae summi Dei: * Et missus est Angelus Domini Sanctus Raphaël; ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatae, alleluja.

℣. Tobias, et Sara in tribulatione positi cum lacrymis orare coeperunt. Et missus.

LECTIO II.

Et vocantes eum, pater scilicet, et filius tulerunt eum in partem, et rogare coeperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quae attulerant, acceptam habere. Tunc dixit eis occulte. Benedicite Deum Caeli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim Sacramentum regis abscondere bonum est. Opera autem Dei revelare, et confiteri, honorificum est. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis, quam thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam aeternam. Qui autem faciunt peccatum, et iniquitatem hostes sunt animae suae. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli oratio-

nem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.

℟. Egressus Tobias invenit juvenem splendidum stantem praecinctum, et quasi paratum ad ambulandum, et salutavit eum, et dixit: * Unde te habemus, bone juvenis? alleluja.

℣. Et ignorans, quod Domini Angelus esset, salutavit eum, et dixit. Unde.

LECTIO III.

Et nunc misit me Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a Daemonio liberarem. Ego enim sum Raphaël Angelus unus ex septem, qui astamus ante Dominum. Cumque haec audissent, turbati sunt, et trementes ceciderunt super terram in faciem suam. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere. Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, et cantate illi. Videbar quidem vobiscum manducare, et bibere: sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. Tempus est ergo, ut revertar ad eum, qui me misit: Vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus. Et cum haec dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, et ultra eum videre non potuerunt. Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum, et exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.

℟. Ingressus Angelus ad Tobiam, salutavit eum, et dixit: Gaudium sit tibi semper: * Forti animo esto, in proximo enim est, ut a Deo cureris, alleluja.

℣. Et respondens Tobias ait; quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen Caeli non Video? Forti. Gloria Patri. Forti.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Archangele Raphaël, veni in adjutorium populo Dei, alleluja.

Psal. Coeli enarrant, Domini est terra. Benedicam Dominum, ut in dicto festo S. Michaëlis Archang. Apparition. 8 *Maji in Brev.*

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini, alleluja.

℟. De manu Angeli, alleluja:

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 1. in Domin. 15. de Beato Tobia, qui est 226. de Tempore.

LECTIO IV.

Beatus Tobias, qui panem suum noverat frangere esurienti, mercedem celerem mercenario praeparat laboranti. Patienter lectione percepta, quae nuper est recitata, admirabamur patris, filiique tractatum, quemadmodum Angelus monet, quem aestimabant terrenum sub caelesti gloria mercenarium. Ad hoc enim caecitatis incurrit exitium, ut Angelum susciperet, et medicum, qui divinis facibus incensus sic anhelavit. Honesta est oratio cum jejunio, et elemosyna. Oratio justi clavis est Caeli. Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altum Caelum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habet conscientiam. Cum sensibus loquitur, si sit solus noster gemitus. Sufficit auribus imber oculorum; fletus citius audit, quam voces. Oratio invidi solet de auribus propulsari. Erat Patris, et filii anima una, dum esset proprietas membrorum, erat illis singularis germinitas animorum. Fili, inquit, dimittamus istum hominem, adjicientes ad mercedem placitam, quia nobis multa opere suo contulit bona, et

rogare coepit mercenarium, ut mercedis suae sumat effectum. Frater, inquit, accipe quod tuum est, et tunc vade salvus. Recipe mercedem tuam, quia mihi, et filio meo bonam praebuisti misericordiam. Tolle, ut dixi, substantiam, quam cum filio meo reportasti: nam gratia, quam tibi debemus, non potest ponderari.

℟. Interrogavit Tobias Angelum, de qua domo, aut de qua tribu es tu? qui respondens ait: * Ego sum Azarias Ananiae magni filius alleluja.

℣. Genus quaeris mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Sed ne forte solicitus sis. Ego sum.

LECTIO V.

Continuo Angelus gaudet de cogitata mercede, qui missus fuerat gratis facere pietatem. Tobis, inquit, vel Tobias, quid de mea mercede satis superflue cogitatis? Habete, quod vobis donavit Pater ille caelestis. Ego minister sum curationis, ille est auctor sanitatis. Nescitis, cujus mercenarii ope perfrui meruistis, defunctos captivitatis sepelire non timuistis. Tobis, ascenderunt ad Dominum opera tua, relicto prandio, reddidisti mortuum sepulturae. Ego Domino medullata intuli sacrificia pro venerabili sepultura: Ego directus sum operarius fori caelestis. Mortuum sepelistis, et mortis aculeum non timuistis. Ipse sepultus pro vobis voce tacita proclamavit. Probationis fuerat caecitas oculorum, unde patientia tua clarius meruisset de caelestibus ornamentum. Ego sum Raphaël, unus ex septem Angelis, qui astamus ante claritatem Dei. Non indigeo fructu humanae mercedis, divitem me fecit conversatio Majestatis. Dives est ille, qui me misit, gratis jussit impendi, quod gratis ipse concessit Nec ipsum honorem gratiarum mihi deputetis, quia nihil meis viribus percepistis. Deum benedicite, et illi confitemini, et ipsum glorificate, qui vobiscum fecit bona.

℟. Exivit Tobias, ut lavaret pedes suos; et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum: qui expavescens, clamavit voce magna, dicens: Domine invadit me. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam ejus, et trahe eum ad te. * Extentera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repone tibi: sunt enim necessaria ad medicamenta utiliter, alleluja.

℣. Attraxit autem Tobias piscem in siccum, et palpitare coepit ante pedes ejus, et ait Angelus ei. Extentera hunc.

LECTIO VI.

Subito patefacto mysterii caelestis honore, voce Raphaëlis Archangeli attoniti Tobis, et Tobias, collapsi in terram proruerunt, vocem tremulam penitus occultaverunt, quia vocem insolitam audierunt. Quid metuistis pater Tobis, filiusque Tobias? Mercenarium habere caelestem, et tanquam operarium locare terrestrem? Celavit vobis Angelus nomen: Azarias sum, inquit, Ananiae magni filius, et cum dixit: Ego sum Raphaël Angelus, celavit in primo nomine dignitatem, ne faceret locatori terrorem. Si enim diceret: Ego sum Angelus, non esset Tobiae mercenarius. Servata est dignitas nominis, ut postremo magnitudo claresceret dignitatis. Videte, carissimi, quantum sit eleemosynae meritum: Angelum meruit habere operarium. Videtis quantum proficit mortuos sepelire, ut oblatio ejus per Angelum Raphaëlem ad caelestem ascenderet Majestatem. Videtis, quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata, facit purgationem oculorum, liberat a tenebris peccatorum. Tobis via sua deducitur, Sara tot viris contristata per Angelum matrimonio copulatur.

℟. Ubi introieris domum tuam, dixit Angelus Raphaël ad Tobiam, statim adora Dominum Deum tuum, et gratias agens ei, accede ad patrem tuum, et osculare eum: * Statimque lini super oculos ejus ex felle

4

isto piscis, quem portas tecum: Scias enim, quoniam mox aperientur oculi ejus, et videbit pater tuus lumen Caeli, et in aspectu tuo gaudebit, alleluja.

℣. Tolle tecum ex felle isto piscis: erit enim necessarium. Statimque. Gloria Patri. Statimque.

IN III. NOCTURNO.

Antiphona. Angelus Archangelus Raphaël Dei medicus pro animabus justis, alleluja.

Psal. Cantate Domino. Dominus regnavit, exultet. Benedic anima mea Domino, ut in dict. festo S. Michaël. Archang. Appar. 8. Maji in Brev.

℣. Apprehendit Angelus Raphaël Daemonium, alleluja.

℟. Et relegavit illud in deserto superioris AEgypti, alleluja.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.
cap. 5.

LECTIO VII.

In illo tempore: Erat dies festus Judaeorum, et ascendit Jesus Jerosolymam. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Cum vellet Deus appropinquantis baptismatis fidem nos erudire, non solum peccata, sed morbos per aquam expulit; propiores enim veritati imagines, et in baptismate, et in passione, et in aliis certiores fuerunt, quam vetustiores. Nam sicut regii familiares honoratiores sunt, ita et propiores figurae. Et descendens Angelus motae aquae sanandi virtutem largiebatur, ut intelligerent Judaei, longe magis Angelorum Dominum omnia animae impedimenta sanare posse, Et quemadmodum hujus aquae natura per se non sana

bat, siquidem semper sanasset, sed dumtaxat cum ab Angelo movebatur: ita et in nobis non simplex aqua operatur, sed cum Spiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata.

℟. Benedicite Deum caeli, dixit Angelus Raphaël, et coram omnibus confitemini ei: * Quia fecit vobiscum misericordiam suam, alleluja.

℣. Ipsum benedicite, et cantate illi, et narrate omnia mirabilia ejus. Quia etc.

LECTIO VIII.

Juxta hanc piscinam jacebat multitudo languentium, caecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae motum. Verum tunc infirmitas corporis sanari volentem impediebat, nunc unusquisque potestatem habet accedendi. Non enim Angelus aquam movet; sed Angelorum Dominus totum perficit: non habet excusationis locum infirmus, non habere se hominem, qui sibi opituletur, neque dum venit, alium descendere, sed licet universus mundus accedat, non consumitur gratia, neque virtus deficit, sed eadem semper permanet: ut enim solares radii singulis diebus illuminant, neque ex nimia copia vis eorum minuitur, ita immo longe minus, spiritus operatio ob accipientium multitudinem remittitur. Hoc autem factum est, ut qui in aqua corporis morbos sanari posse didicissent, in eo aliquandiu exerciti, animae morbos per aquam curari posse, facilius crederent.

℟. Tempus est, ut revertar ad eum, qui me misit, dixit Angelus Raphaël: * Vos autem benedicite Dominum, et narrate omnia mirabilia ejus, alleluja.

℣. Confitemini ei coram omnibus viventibus, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Vos autem. Gloria Patri. Vos autem.

Nona lectio legitur de Homilia Dominicae III. post Pascha, et de ea fit commem. in Laudibus.

Si autem festum transfertur lect. 9. erit sequens.

LECTIO IX.

Cur porro, missis caeteris omnibus, Jesus ad eum, qui triginta octo annos aegrotabat, venit? Cur interrogat, Vis sanus fieri? Non ut id disceret: illud enim supervacaneum fuisset, sed ut hujus perseverantiam ostenderet, et ut sciremus ideo ipsum, caeteris omissis, hunc adiisse. Quid ergo infirmus? Respondit ei: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum venio enim ego, alius ante me descendit. Ideo interrogavit, vis sanus fieri? ut haec ediscamus: neque dixit: vis, ut te sanem? Nondum enim tanta de ipso habebatur opinio: sed vis sanus fieri? Stupenda prorsus est paralytici perseverantia per triginta, et octo annos, dum speraret singulis annis ab aegritudine liberari, mansit, nec discessit. Etiamsi enim non praeterita, annon futura poterant illum a loco abducere, nisi patientissimus fuisset? Cogita enim, cum quanta cura caeteri aegri vigilarent. Neque enim tempus, quo agitanda erat aqua, notum erat: sed claudi, et mutili observare poterant: caeci vero quomodo vidissent, nisi fortasse ex motu didicissent? Erubescamus ergo, erubescamus, dilecti, et lugeamus de nostra tanta segnitie. Ille triginta octo annis perseveravit, neque quod volebat, acceperat, neque tamen discessit: neque ex negligentia sua non consecutus est: sed aliis impedientibus, vimque passus: neque tamen propterea animum despondit: nos vero si decem diebus perseveremus pro re aliqua precantes, nec impetremus, deinde torpemus in eodem adhibendo studio.

Te Deum.

Dominica tertia post Pascha, ubi celebratum est Festum Sancti Raphaëlis Archangeli, in tertio Nocturno recitetur Homilia S. Joannis Chrysostomi, nempe Cum vellet Deus etc. S. R. C. 5 Maij 1736 *in Einsilden.*

Ad Laudes, et per Horas,

1. *Antiphona.* Missus est Angelus Raphaël ad Tobiam, et Saram, ut curaret eos, alleluja.

Psalmus Dominus regnavit. *Cum reliquis de laudibus Dom.*

2. *Antiphona.* Ingressus Angelus ad Tobiam, salutavit eum, et dixit: Gaudium sit tibi semper, alleluja.

3. *Antiphona.* Forti animo esto Tobias, in proximo enim est, ut a Deo cureris alleluja.

4. *Antiphona.* Benedicite Deum Caeli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, qnia fecit vobiscum misericordiam suam alleluja.

5. *Antiph.* Pax vobis nolite timere Deum benedicite, et cantate illi, alleluja.

Capitulum.
Tob. 12.

Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

HYMNUS.

Christe Sanctorum decus Angelorum,
Rector humani generis, et auctor,
Nobis sacratum tribue benignus
Scandere Caelum.
Angelum nobis medicum salutis
Mitte de Caelis Raphaël, ut omnes
Sanet aegrotos, pariterque nostros
Dirigat actus.
Hinc Dei nostri genitrix Maria,
Totus et nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et beata
Concio tota.

Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus, alleluja.
℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, alleluja.

Ad Benedictus Antiphona.

Ego sum Raphaël Angelus, qui asto ante Dominum: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus, alleluja.

Oratio.

Deus, qui beatum Raphaelem Archangelum Tobiae famulo tuo comitem dedisti in via: concede nobis famulis tuis; ut in ejusdem semper protegamur custodia, et muniamur auxilio. Per Dominum.

Ad Tertiam. Antiphona.

Ingressus Angelus.
Capitulum. Quando orabas.
℟. *Breve.* Stetit Angelus juxta aram templi*, alleluja, alleluja. Stetit.
℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Alleluja, alleluja. Gloria. Stetit.
℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini, alleluja.
℟. De manu Angeli, alleluja.

Ad Sextam, Antiphona.

Forti animo.

Capitulum.
Tob. 12. c.

Et nunc misit me Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a Daemonio liberarem. Ego enim sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.

℟. *brev.* Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini * alleluja, alleluja Ascendit.

℣. De manu Angeli. Alleluja alleluja. Gloria Patri. Ascendit.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus, alleluja.

℟. Adorabo ad templum Sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, alleluja.

Ad Nonam, Antiphona.

Pax vobis.

Capitulum
Tob. 12. d.

Tempus est, ut revertar ad eum, qui me misit: Vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.

℟. *br.* In conrpectu Angelorum psallam tibi Deus meus, alleluja, alleluja. In conspectu.

℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confidebor nomini tuo, alleluja alleluja. Gloria Patri. In conspectu.

℣. Adorate Deum, alleluja.

℟. Omnes Angeli ejus, alleluja.

In II. Vesp. Antiph. Missus est Angelus. *Cum reliquis Antiphonis de laud. Psalm.* Dixit Dominus. *Cum rel. de Dom. et loco ultimi, psalm.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo, * quoniam audisti, *ut in Vesp. fer. 6. in Psalt.*

Capitulum, Hymnus, et ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Antiphona

Princeps gloriosissime Raphaël Archangele, esto memor nostri; hic, et ubique semper precare pro nobis filium Dei, alleluja.

Oratio.

Deus, qui beatum Raphaëlem. *ut supra.*

Quando festum S. Raphaëlis Arch. celebratur Dominica III post Pasch. antiph. I. Noct. erit. Multa magnalia. *In II Noct.* Archangele Raphaël. *In III Noct.* Angelus Arcangelus. *Ex Decr. S. R. C. 5. Maji* 1736. *in Einsidlen.*

DOMINICA 1. MAJI.

IN FESTO

TRANSLATIONIS S. JANUARII EP. ET M.

Duplex majus cum octava, omnia fiunt ut in fine Brev.

Ex antiqua consuetudine in Civitate, et Dioecesi Puteolana Festum Translationis S. Januarii Ep. et M. celebratur 1. Dominica Maji, etiamsi occurrat eodem die Festum SS. Philippi et Jacobi Apost. Inventionis S. Crucis, et aliorum, translatis ipsis in primam diem non impeditam.

DOMINICA 11 MAJI.

IN FESTO

PATROCINII S. PROCULI LEV. ET MART.

Patroni Principalis, ac Translationis Reliquiarum ejusdem; et Sociorum Martyrum SS. Acutii, et Eutychetis.

Duplex 2. Classis.

Omnia fiunt, sicut in die festo 16 Novembris, praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, vota populi tui benigno favore prosequere, et quem dispositione mirabili in Translatione Sanctorum Martyrum tuorum Proculi Levitae, Eutychetis, et Acutii caelesti dono ditasti, eorum Patrocinio, praesentium perceptio munerum firma sit ei expectatio futurorum. Per Dominum.

Fit commemor. Octavae Translationis S. Januarii.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Quo tempore Lotharius Rex, collectis undique Copiis, contra Saracenos perrexit, ut Campaniam ab illorum incursibus identidem vexatam liberaret; Exercitus ejus perillustrem, et antiquam Civitatem Puteolorum bello vastatam reperit, ibique Basilicam, ubi Corpora SS. Proculi Patroni, ejusque sociorum Eutychetis, et Acutii recondebantur, ob timorem hostium

ab Accolis desertam invenit. Hinc nobilis quidam Miles Alemannus, ingenio promptus, ac litteris non mediocriter eruditus, ope cujusdam Presbyteri, quem forte hospitem habuerat, cum id didicisset, ad locum Sepulchri cum aliis sociis accessit, ac praemissa Oratione, Tumbam pulcherrimo marmore undique circumseptam aperientes, sacra illa Pignora sustulerunt, atque reverenter in scriniis suis reposita, Germaniam detulerunt, et in Caenobio Augiae Majoris prope Rhenum honorifice condiderunt. Haec vero anno nongentesimo septuagesimo primo aerae christianae gesta traduntur. Quum interea ob hominum dispersionem, et bellorum frequentiam nihil ea de re cognitum esset; tum diu Lipsanis Sanctorum suorum Puteolana Ecclesia caruit, tum quonam illa loco quaerenda essent, ignoravit. Elapsis interea saeculis, tandem indicium forte aliquod Acta Bollandistarum dederunt.

Tu autem Domine.

℟. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo * Quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. (*Cant. Isa.* 12. 2.).

℣. Detur mihi sermo cum fiducia notum facere Mysterium Evangelii, pro quo legatione fungor in catena. (*Paul. ad Eph.* 19).

Quia fortitudo etc.

LECTIO V.

Quare hortante Hieronymo Episcopo Puteolano, ac studiose, et comiter curante Antonio Thenarum Antistite, et Carolinae Austriacae Siciliarum Reginae Confessario, Anno Domini millesimo septingentesimo septuagesimo nono ab Antonio Archiepiscopo Pragensi dens molaris S. Proculi, qui a Monachis Augiensibus Carolo IV. Caesari fuerat donatus, recuperatus est. Tum Anno sequenti cum Maximiliano Principe Episcopo Constantiensi, ejusque Vicario Generali studio-

sius actum est, qui Augiam Majorem cum plerisque Theologis, ac Medicis, aliorum probatissimorum Virorum comitatu sese contulerunt, et veterem quamdam Arcam affabre deauratam recludentes, sacras reliquias, quae ex antiqua, et constanti traditione trium Puteolanorum Martyrum Proculi, Eutychetis, et Acutii esse credebantur, permixtas, et invicem confusas invenerunt. Hinc inter illas, sex coxas Venerabilis Antistes selegit, quas quidem singulas rite cognitas, et aequaliter bissectas, proprio sigillo munitas, ad eumdem Puteolanum Episcopum mox munificentissime remisit. Ut autem pro tanto beneficio singulares Deo persolverentur gratiae, optimo consilio factum fuit, ut certa deinde die, decentiori pompa, ad Cathedralem Ecclesiam Sanctorum Ossium Translatio perageretur. Itaque anno millesimo septingentesimo octogesimo primo, Dominica secunda Maji, quae fuit dies tertiadecima ejusdem, e vicina Aede Fratrum Praedicatorum extra muros, sub humeris plurium Episcoporum, comitante utroque Clero, et Civitatis Proceribus, ac frequentissimo Populi, et finitimarum Gentium concursu, ad principem Ecclesiam translata sunt: totiusque rei gestae, nedum monumenta omnia Autographa in Episcopali Archivio adservari, sed et memoriam marmori insculpi, et annua solemni recordatione celebrari, idem Hieronymus Episcopus diligentissime curavit.

Tu autem Domine.

℟. Domine manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros corporis substineo dolores: * Sed propter timorem tuum libenter haec patior (2. *Mach.* 6. 30).

℣. Gaudeo in passionibus, et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi in carne mea (*Paul. ad Coloss.* 1. 24).

Sed propter etc.

LECTIO VI.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Cum omnium Sanctorum Martyrum, Fratres carissimi, natalem devotissime celebremus, tamen praecipue eorum solemnitas nobis veneranda est, qui in nostris domiciliis proprium sanguinem fuderunt. Nam licet universi Sancti ubique sint, et omnibus prosint; specialiter tamen illi pro nobis interveniunt, qui supplicia apud nos pro Christo pertulisse probantur. Cuncti igitur Martyres devotissime percolendi sunt, sed specialiter ii venerandi sunt a nobis, quorum Reliquias possidemus: illi enim orationibus suis adjuvant. Cum his autem nobis familiaritas quaedam est: semper enim nobiscum sunt. Nam ideo a Majoribus hoc provisum est; ut Sanctorum Ossibus corpora nostra socientur, ut dum illos Tartarus metuit, nos poena non tangat: dum illos Christus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes evadimus inferni tenebras, et eorum propriis meritis consequimur consortii sanctitatem. Tu autem Domine.

℟. Gloriosam mortem complectens, voluntarie praeibat ad supplicium: * Memoriam mortis suae ad exemplum fortitudinis derelinquens (2. *Machab.* 6. 31).

℣. Majores divitias aestimans improperium Christi, aspiciebat in remunerationem (*Paul. ad Hebraeos* 11. 26.). Memoriam etc. Gloria Patri etc. Memoriam etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem. *cap.* 12.

LECTIO VII.

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Amen,

amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

Discamus ergo, Fratres, amare animas nostras. Omnis voluptas saeculi transitoria est. Est amor inutilis, est amor noxius: amor amore impeditur: amor noxius recedat, et amor utilis succedat. Sed quia homines nolunt illinc recedere, ideo in illos non potest aliud introire. Ut non capiant, pleni sunt: fundant, ut capiant. Vis ut intret mel, unde acetum nondum fudisti? funde, quod habes, ut capias, quod non habes. Ideo prima renuntiatio est huic saeculo, et deinde conversio ad Deum. Qui renuntiat, fundit; qui convertitur, impletur: sed si non fiat corpore solo, sed et corde.

℟. Coronans coronabit te Dominus tribulatione, quasi pilam mittet te in terram: * Ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae (*Isai.* 22. 18).

℣. Mihi vivere Christus est, et mori lucrum; gloriari me oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi. (*Paul. ad Philippens.* 1. 41.) Ibi morieris etc.

LECTIO VIII.

Quaeritur autem, quomodo crescat iste amor: habet enim initia sua, habet augmenta sua, habet perfectionem suam. Primo illud attendat caritas vestra, amores omnes, et dilectiones prius sunt in hominibus de se, et sic de alia re, quam diligunt. Si diligis aurum, prius te diligis, et sic aurum; quia si tu mortuus fueris, nullus erit, qui aurum possideat. Ergo dilectio unicuique a se incipit, et non potest, nisi a se incipere, et nemo monetur, ut se diligat. Primum ergo dilige Deum, deinde teipsum, post haec dilige proximum tuum, sicut teipsum. Prius tamen

disce amare teipsum; sic dilige proximum tuum, sicut teipsum: nam si teipsum non nosti amare, quomodo proximum poteris in veritate diligere?

℟. Reddidit Deus servo suo mercedem laborum suorum; et deduxit illum in via mirabili. (*Sap.* 10. 17.) * Beate Procule Levita, et Martyr Christi intercede pro nobis.

℣. Omnia detrimentum fecit ad cognoscendum Christum, et societatem passionum illius configuratus morti ejus. (*Paul. ad Philippens.* 3. 8. 10.)

Beate Procule etc. Gloria Patri etc. Beate Procule etc.

Lect. IX erit de Homil. Domin. occurr. Si autem hoc festum contingat transferri 9. lect. erit sequens.

LECTIO IX.

Si ergo vis verae caritatis ordinem custodire, fac justitiam, dilige misericordiam, fuge luxuriam, incipe, secundum praeceptum Domini, non solum amicos, sed etiam inimicos diligere. Et haec cum fideliter custodire toto corde contenderis, istis virtutibus, quasi quibusdam gradibus poteris ascendere, ut merearis Deum toto animo, et tota virtute diligere. Et cum ad istam felicem perfectionem veneris, omnes concupiscentias istius mundi, tamquam stercora computabis. Et cum Propheta poteris dicere: Mihi autem adhaerere Deo bonum est.

Te Deum.

DIE XVI. MAJI.

IN FESTO

S. JOANNIS NEPOMUCENI MART.

Sub ritu dupl. Majoris. Omnia fiunt, sicut in Breviarii calce.

DIE XXX. MAII.

IN FESTO

COMMEMORATIONIS ADVENTUS S. PAULI APOSTOLI.

In Civitatem Puteolanam.

Duplex majus.

Omnia, prout in die 30. Junii Commem. S. Pauli Apostoli, praeter Orationem, et Lectiones primi, secundi, et tertii Nocturni, quae infra assignantur.

Oratio.

Deus, qui multitudinem Gentium B. Pauli Apostoli praedicatione docuisti, da nobis quaesumus, ut cujus Commemorationem Adventus in hanc Civitatem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO.

De Actibus Apostolorum.
cap. 27.

LECTIO I.

Navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur Nautae apparere sibi aliquam regionem:

qui et submittentes bolidem, invenerunt passus viginti: et pusillum inde separati invenerunt passus quindecim. Timentes autem, ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri. Nautis vero quaerentibus fugere de navi, cum misissent scapham in Mare, sub obtentu quasi inciperent a prora anchoras extendere, dixit Paulus Centurioni, et Militibus: nisi hi in Navi manserint, vos salvi fieri non potestis. Tunc absciderunt Milites funes Scaphae, et passi sunt eam excidere. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: quartadecima die hodie expectantes jejuni permanetis, nihil accipientes. Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit. Et cum haec dixisset, sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium; et cum fregisset, coepit manducare. Animaequiores autem facti omnes, et ipsi sumpserunt cibum. Eramus vero universae animae in navi ducentae septuaginta sex. Et satiati cibo alleviabant Navem, javem jactantes triticum in mare.

℟. Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est et mihi inter Gentes: * Et cognoverunt gratiam Dei; quae data est mihi.

℣. Gratia Dei in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet. Et.

LECTIO II.

Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant. Sinum vero quemdam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, ejicere navem. Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes juncturas gubernaculorum, et levato artemone secundum aurae flatum tendebant ad littus. Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem: et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris. Militum autem con-

silium fuit, ut custodias occiderent: ne quis cum enatasset, effugeret. Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri: jussitque eos, qui possent natare, emittere se primos, et evadere, et ad terram exire; et caeteros alios in tabulis ferebant: quosdam super ea, quae de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animae evaderent ad terram. Et cum evasissemus, tunc cognovimus, quia Melita Insula vocabatur. Barbari vero praestabant non modicam humanitatem nobis. Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, et frigus: Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, et imposuisset super ignem, vipera a calore cum processisset, invasit manum ejus. Ut vero viderunt Barbari pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant: utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere.

℟. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, * ideoque reposita est mihi corona justitiae.

℣. Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem. Ideoque.

LECTIO III.

Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem convertendum, et subito casurum, et mori. Diu autem illis expectantibus, et videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se dicebant, eum esse Deum. In locis autem illis erant praedia Principis Insulae, nomine Publii, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit. Contigit autem, patrem Publii febribus, et dysenteria vexatum jacere. Ad quem Paulus intravit: et cum orasset, et imposuisset ei manus, salvavit eum. Quo facto, omnes, qui in Insula habebant infirmitates, accedebant, et curabantur: Qui etiam multis honori

bus nos honoraverunt, et navigantibus imposuerunt, quae necessaria erant. Post menses autem tres, navigavimus in Navi Alexandrina, quae in Insula hyemaverat, cui erat insigne Castorum. Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo. Inde circumlegentes devenimus Rhegium, et post unum diem flante Austro, secunda die venimus Puteolos, ubi inventis Fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem, et sic venimus Romam.

℟. Reposita est mihi corona justitiae *, quam reddet mihi Dominus in illum diem, justus judex.

℣. Scio, cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem. Quam. Gloria Patri. Quam.

IN II. NOCTURNO.

De sermone Venerabilis Bedae Presbyteri.

LECTIO IV.

Pulcherrimus in hoc loco patet allegoriae sensus, cum Paulus eos, quos de naufragio salvari promisit, cibum sumere suasit. Et quia nocte media quatuor anchoris inter undarum impetus regebantur, orta die terrae sinum conscendunt, quia nullus hujus saeculi tempestates, nisi qui pane vitae pascitur, evadit. Et qui nocte tribulationum praesentium sapientiae, fortitudini, temperantiae, et justitiae totis viribus innititur, mox Dei auxilio coruscante, portum salutis, quem quaesierit, consequitur, ita dumtaxat, ut saeculi rebus expeditus flammam solummodo dilectionis, qua pectus calefaciat, quaerat.

℟. Tu es vas electionis Sancte Paule Apostole, praedicator veritatis in universo mundo: * Per quem Gentes cognoverunt gratiam Dei.

℣. Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit. Per.

LECTIO V.

Ideo navis ista periit, quia non levi cursu fluctibus superlapsa est, sed ipso aequoris fundo violenter infixa, partim solo detinetur, partim unda vexante confringitur. Talis est profecto casus animi huic saeculo dediti, qui cum Mundi desideria calcare neglexerit, quia proram intentionis terrae funditus infigit, totam operum sequentium compagem, curarum fluctibus solvit. Sed hujus naviculae fragmentis, qui evasere, terram petunt, quia pereuntium exemplis alii se cautius agunt.

℞. Gratia Dei sum id, quod sum: * Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed semper in me manet.

℣. Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est mihi inter Gentes. Et.

LECTIO VI.

Egressus est de mari Apostolus, ignem propter frigus accendit, quia corda illorum, quos undis tempestatum docendo exemit, amoris ardore calefecit. Sarmenta enim sunt dicta quaelibet exhortationum, quae ad accendendam caritatem valentia ab integritate decerpta Scripturarum, quasi frondibus sunt excisa ramorum. (Vipera a calore, cum processisset invasit manum ejus) quia Spiritus immundus flamma virtutum de fidelium corde repulsus, Doctoribus veritatis venena persecutionum infundere nititur, quo manum sauciet, idest opus doctrinae spiritualis impediat. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. Eodem igne, quo suos fovet, bestiam comburit, quia iisdem virtutibus et Sancti proficiunt, et impii cum suo Auctore invidendo deficiunt.

℞. Saulus, qui et Paulus, magnus praedicator, * A Deo confortatus convalescebat, et confundebat Judaeos.

℣. Ostendens, quia hic est Christus Filius Dei. A Deo. Gloria Patri. A Deo.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.
Mat. 8. v. 23.

LECTIO VII.

In illo tempore: Ascendente Jesu in Naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Et ecce motus magnus factus est in mari ita, ut Navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi.

Ad dormientem confugiunt vigilantes, et credunt obsistere saevientibus elementis eum, cui somnium dominari sua compassione conspiciunt: contemplantur irruisse taliter humanae necessitatis soporem, ut nec fragore maris, nec clamore fluctuum, nec extremo imminente naufragio potuerit suscitari. Et ubi est illud: Ecce non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israel? Per se non dormit, neque sibi dormitat Majestas expers lassitudinis, quietis ignara, sed totum per me mihi agit, qui quoties speciem sui actus, sui vultus immutat, toties nostrarum varietates arguit, et culpas animarum: audi Prophetam dicentem. Palpebrae ejus interrogant filios hominum.

℟. Sancte Paule Apostole, praedicator veritatis, et Doctor Gentium, * Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit, ut digni efficiamur gratia Dei.

℣. Tu es vas electionis, Sancte Paule Apostole, praedicator veritatis. Intercede.

LECTIO VIII.

Videte, quemadmodum Dei oculi clauduntur, ne videant eos, ut vindicent, qui delinquunt: Averte, inquit, faciem tuam a peccatis; et iterum pa-

tent, ut currentes incitent, lascescentes erigant, respiciant supplicantes. Hic ergo Domini somnus explorat discipulorum fidem, dubitationem prodit: et modicae eos credulitatis aperit esse, qui non modo in se tantum, sed in ipsum Auctorem credunt posse elementa consurgere: Fluctus, inquit, mittebat in Navim. Quia Dominicam navem, quantum extrinsecus quatiunt, et infundunt, unde gentium moles, tantum intrinsecus tumidi haereticorum irruunt, et desaeviunt fluctus.

℟. Damasci praepositus Gentis Aretae regis voluit me comprehendere: * Et a fratribus per murum demissus sum in sporta, * et sic evasi manus ejus in nomine Domini.

℣. Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi scit, quia non mentior. Et a fratribus. Gloria Patri. Et sic.

LECTIO IX.

Hanc tempestatem Beatus Paulus se pertulisse declarat, cum dicit, foris pugnae, intus timores. Merito spumosis fluctibus Evangelista refert fuisse navem repletam: cum tot pene haereses Ecclesia patitur, quot divinae legis legimus esse quaestiones. Dum factum pandit lectio, tempus commendat exemplo. Siquidem magna, et satis gravis imminet procellosa tempestas, dum se undique furens, ac perniciosus ingerit turbo ventorum, maria mugiunt, ipsae quoque insulae funditus subruuntur, et tristi sonitu littora universa feriuntur, sed quia, ut diximus, Christus nostra dormit in Navi, accedamus ad eum magis fide, quam corpore, expulsemus eum plus opere misericordiae, quam desperantium actu, eum suscitemus, non insolenti strepitu, sed clamore Spiritualium Canticorum.

Te Deum laudamus.

Si hoc officium recitari contigerit tempore Paschali, tunc in fine ad Invitat. Antiphonas, ℣. et ℟. tam brevia, quam alia, additur Alleluja, et tres Psalmi dicuntur in quolibet Nocturno sub prima Antiphona illius Nocturni.

In II. Vesperis Antiphonae. Juravit Dominus *cum Psalm. de 2. Vesp. commun. Apost. Capit. et reliq. ut in* 1. *Vesp. com. S. Petri Apost. S. Ferdinandi Conf., et S. Petronillae Virg.*

DIE XXXI. MAJI.

S. FERDINANDI REGIS CONFES.

Dupl. hic assignati ex heri. Omnia, ut in Breviario ex 3o. hujus.

FESTA JULII

DIE VII. JULII.

Dedicatio Cathedralis Ecclesiae, et omnium Ecclesiarum Dedicatarum Civitatis, et Dioecesis Puteolanae. Duplex 1. classis cum octava. Omnia, ut in comm. Dedicat. Ecclesiae.

DIE XX. JULII.

IN FESTO

PATROCINII S. JOSEPII SPONSI B. M. V.

Duplex majus.

Ad Vesp. ***Antiph.*** Jacob autem. Cum reliquis de Laudibus.

Psalm. ***Dixit Dominus*** cum reliquis de Domin., et loco ult.

Psalm. Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum.
Genes. 49.

Benedictiones Patris tui confortatae sunt benedictionibus Patrum ejus, donec veniret desiderium collium aeternorum; fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaraei inter Fratres suos.

HYMNUS.

Te Joseph celebrent agmina Caelitum,
Te cuncti resonent Christiadum chori,
Qui clarus meritis junctus es inclytae
Casto foedere Virgini.
Almo cum tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu Superi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet.
Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Ægypti profugum tu sequeris plagas;
Amissum Solymis quaeris, et invenis,
Miscens gaudia flectibus.
Post mortem reliquos mors pia consecrat,
Palmamque emeritos gloria suscipit.
Tu vivens, superis par, frueris Deo
Mira sorte beatior.
Nobis, summa Trias, parce precantibus,
Da Joseph meritis sydera scandere:
Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum. Amen.
℣. Constituit eum Dominum domus suae.
℟. Et principem omnis possessionis suae.

Ad Magnif. *Antiph.*

Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.

Oratio.

Deus, qui ineffabili Providentia beatum Joseph Sanctissimae Genitricis tuae Sponsum eligere dignatus es: praesta quaesumus; ut quem Protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in Caelis. Qui vivis, et regnas.

Ad Matut. *Invitat.*

Laudemus Deum nostrum : * in veneratione Beati Joseph Protectoris nostri.
Psal. Venite exultemus.

Hymnus.

Te Joseph celebrent. *ut sup. in* I. *Vesp.*

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Ascendit Joseph a Galilaea de Civitate Nazareth in Judaeam, in Civitatem David, quae vocatur Bethlehem, ut profiteretur cum Maria.

Psalm. Beatus vir. Cum reliquis de communi Confessoris non Pontificis.

Antiph. Venerunt Pastores festinantes : et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in praesepio.

Antiph. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum.

℣. Confitebor nomini tuo.

℟. Quoniam adjutor, et Protector factus es mihi.

De Libro Genesis.
cap. 39.

LECTIO I.

Igitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, Princeps Exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaëlitarnm, a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens : habitavitque in domo Domini sui, qui optime noverat, Dominum esse cum eo, et omnia, quae gereret, ab eo dirigi in manu il-

lius. Inveniltque Joseph gratiam coram Domino suo, et ministrabat ei, a quo praepositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, et universa, quae ei tradita fuerant. Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in aedibus, quam in agris cunctam ejus substantiam. Nec quidquam aliud noverat, nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu.

℟. Clamavit Populus ad Regem alimenta petens. * Quibus ille respondit: Ite ad Joseph.

℣. Salus nostra in manu tua est: respice nos tantum, et laeti serviemus Regi. Quibus.

LECTIO II.

cap. 41. v. 37.

Placuit Pharaoni consilium, et cunctis ministris ejus, locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph; quia ostendit tibi Deus omnia, quae locutus es, numquid sapientiorem, et consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum Regni solio te praecedam. Dixitque rursus Pharao ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, et praepositum esse scirent universae terrae Ægypti.

℟. Fecit me Deus, quasi Patrem Regis, et Dominum universae domus ejus: * Exaltavit me, ut salvos faceret multos populos.

℣. Venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terrae. Exaltavit.

LECTIO III.

Dixit quoque Rex ad Joseph : Ego sum Pharao. Absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitque nomen ejus, et vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem Mundi. Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Ægypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu Regis Pharaonis) et circuivit omnes Regiones Ægypti. Venitque fertilitas septem annorum, et in manipulos redactae segetes congregatae sunt in horrea Ægypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenae maris coaequaretur, et copia mensuram excederet.

℟. Jam laetus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo. Non sum fraudatus aspectu tuo : Insuper ostendit mihi Dominus semen tuum.

℣. Qui pascit me ab adolescentia mea, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum. Insuper. Gloria Patri. Insuper.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Consurgens Joseph accepit Puerum, et Matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum; et erat ibi usque ad obitum Herodis.

Antiph. Defuncto Herode, Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto dicens : Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus, et vade in terram Israel : defuncti sunt enim, qui quaerebant animam Pueri.

Antiph. Accepit Joseph Puerum, et Matrem ejus, et venit in terram Israel.

℣. Respice de caelo, et vide, et visita vineam istam.

℟. Et perfice eam.

Sermo S. Bernardini Senensis.

Serm. 1. de S. Joseph.

LECTIO IV.

Omnium singularum gratiarum, alicui rationabili creaturae communicatarum generalis regula est, quod quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet, quae illi Personae sic electae, et ejus officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant, quod maxime verificatum est in Sancto Joseph putativo Patre Domini Nostri Jesu Christi, et vero Sponso Reginae Mundi, et Dominae Angelorum, qui ab Æterno Patre electus est fidelis nutricius, atque custos principalium Thesaurorum suorum, scilicet Filii ejus, et Spousae suae; quod officium fidelissime prosecutus est. Cui propterea Dominus ait: Serve bone, et fidelis, intra in gaudium Domini tui.

℟. Dedisti mihi protectionem salutis tuae, et dextera tua suscepit me, * Protector meus, et cornu salutis meae, et susceptor meus.

℣. Ego Protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Protector.

LECTIO V.

Si compares eum ad totam Ecclesiam Christi, nonne iste est homo electus et specialis, per quem, et sub quo Christus est ordinate, et honeste introductus in Mundum? Sicut ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est; sic profecto post eam, huic debet gratiam, et reverentiam singularem. Ipse enim est Clavis veteris Testamenti, in qua Patriarchalis, et Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Porro hic est solus, qui corporaliter possedit, quod

cis divina dignatio repromisit. Merito igitur figuratur per illum Patriarcham Joseph, qui Populis frumenta servavit. Sed et hic illi praecellit, quia non solum Ægyptiis panem corporalis vitae, sed omnibus electis Panem de Caelo, qui caelestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit.

℟. Statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur, protegetur sub tegmine illius a fervore: * Et in gloria ejus requiescet.

℣. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra. Et in gloria.

LECTIO VI.

Profecto dubitandum non est, quod Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum ageret in humanis, tanquam filius Patri suo, in Caelis utique non negavit, quin potius complevit, et consummavit. Unde non immerito in verbo proposito a Domino subinsertur: Intra in gaudium Domini tui. Unde, licet gaudium aeternae beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: Intra in gaudium, ut mystice innuatur, quod gaudium illud non solum in eo sit intra, sed undique illum circumdans, et absorbens, et ipsum velut abyssus infinita submergens. Memento igitur nostri, Beate Joseph, et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede: sed et Beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est ejus, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

℟. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: * Si exsurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.

℣. In te cantatio mea semper, quoniam tu adjutor fortis. Si exsurgat. Gloria Patri. Si exsurgat.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Audiens Joseph, quod Archelaus regnaret in Judaea pro Herode Patre suo, timuit illo ire.

Antiph. Admonitus in somnis Joseph secessit in parte Galilaeae: et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth; ut impleretur, quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur.

Antiph. Erant Pater Jesu, et Mater mirantes super his, quae dicebantur de illo; et benedixit illis Simeon.

℣. Invocavi Dominum Patrem Domini mei.

℟. Ut non derelinquat me in die tribulationis.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.
cap. 3.

LECTIO VII.

In illo tempore: Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est Caelum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.
Lib. 2. de Consensu Evangel.

Manifestum est illud, quod ait: Ut putabatur filius Joseph: propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur. Quos autem movet, quod alios Progenitores Matthaeus enumerat descendens a David usque ad Joseph, alios autem Lucas ascendens a Joseph usque ad David: facile est, ut advertant duos Patres habere potuisse Joseph: unum, a quo genitus, alterum, a quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo Populo Dei, ut sibi filios facerent, quos non ipsi genuissent. Unde intelligitur Lucas Patrem Joseph, non a quo genitus; sed a quo

fuerat adoptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores sursum versus commemoraret, donec exiret ad David.

℟. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem filium: * Et vocabis nomen ejus Jesum.

℣. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Et vocabis.

LECTIO VIII.

Cum enim necesse sit, utroque Evangelista vera narrante, et Mattheo scilicet, et Luca, ut unus eorum ejus Patris originem tenuerit, qui genuerat, alter ejus, qui adoptaverat Joseph; quem probabilius intelligimus adoptantis originem tenuisse, quam eum, qui noluit Joseph genitum dicere ab illo, cujus eum filium esse narrabat? Matthaeus autem dicens, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob: atque ita in hoc verbo, quod est genuit, perseverans, donec in ultimo diceret: Jacob autem genuit Joseph; satis expressit, ad eum Patrem se produxisse originem generantium, a quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat.

℟. Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi.

℣. Ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Et esto. Gloria Patri. Et Esto.

LECTIO IX.

Quamquam, si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quam ab uno Evangelista gignentem, ab altero adoptantem Patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurde quisque dicitur,

non carne, sed caritate genuisse, quem filium sibi adoptaverit. At vero etiam nos, quibus dedit Deus potestatem filios ejus fieri, de natura, atque substantia sua non genuit, sicut unicum filium; sed utique dilectione adoptavit.

Te Deum.

Ad Laudes, et per Horas Antiphonae.

Antiph. Jacob autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Psalm. Dominus regnavit cum reliq. de Dominica.

Antiph. Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.

Antiph. Ascendit autem Joseph a Galilaea de Civitate Nazareth in Judaeam, in Civitatem David, quae vocatur Bethlehem.

Antiph. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem posit in praesepio.

Antiph. Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph.

Capitulum, ut supra.

Benedictiones Patris tui,

HYMNUS.

Caelitum Joseph decus, atque nostrae
Certa spes vitae, columenque mundi,
Quas tibi laeti canimus benignus
Suscipe laudes.

Te Sator rerum statuit pudicae
Virginis Sponsum, voluitque Verbi
Te Patrem dici, dedit et ministrum
Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,
Quem chorus Vatum cecinit futurum,
Aspicis gaudens, humilisque natum
Numen adoras.

Rex Deus Regum, dominator Orbis,
Cujus ad nutum tremit Inferorum
Turba, cui pronus famulatur Æther
Se tibi subdit.
Laus sit excelsae Triadi perennis,
Quae tibi praebens superos honores,
Det suis nobis meritis beatae
Gaudia vitae. Amen.

℣. Dedisti mihi protectionem Salutis tuae.
℟. Et dextera tua suscepit me.

Ad Benedictus. *Antiphona.*

Joseph filii David, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.

Ad Tertiam.

Antiph. Missus est Angelus Gabriel.

Capitulum.

Benedictiones Patris tui. *ut supra.*

℟. *br.* Constituit eum * Dominum domus suae. Constituit.

℣. Et Principem omnis possessionis suae. Dominum. Gloria Patri. Constituit.

℣. Confitebor nomini tuo.

℟. Quoniam Adjutor, et Protector factus es mihi.

Ad Sextam.

Antiph. Ascendit autem Joseph.

Capitulum.
Genes. 49.

Deus Patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus Caeli desuper.

℟. *br.* Confitebor * Nomini tuo. Confitebor.

℣. Quoniam adjutor, et Protector factus es mihi. Nomini tuo. Gloria Patri. Confitebor.

℣. Justus germinabit, sicut lilium.

℟. Et florebit in aeternum ante Dominum.

Ad Nonam.

Antiph. Et ipse Jesus.

Capitulum.

Genes. 49.

Filius accrescens Joseph, Filius accrescens, et decorus aspectu; filiae discurrerunt super murum.

℟. *br.* Justus germinabit, * sicut lilium. Justus.

℣. Et florebit in aeternum ante Dominum. Sicut lilium Gloria Patri. Justus.

℣. Plantatus in domo Domini.

℟. In atriis Domus Dei nostri.

In II. Vesp. Omnia, ut in primis, exceptis sequentibus.

℣. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.

℟. Et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Ad Magnificat. *Antiphona.*

Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te.

Oratio.

Deus, qui ineffabili etc.

DIE XXIV. JULII.

S. LIBORII EP. ET CONF.

Hic ab Ordinario assignati. Semid. Omnia, ut in fine Breviarii 2. Augusti.

8

DIE XXX. JULII.

S. HIERONYMI AEMILIANI CONF.

Duplex hic ab Ordinario assign. Omnia, ut in Breviario 20. Julii.

FESTA AUGUSTI

DIE IX. AUGUSTI.

S. BONAVENTURAE EPISC. CARD. ET ECCL. DOCT.

Duplex hic assign. ex 14. Julii imped. Omnia, ut in Brev. corp. 14. Julii.

DIE XIII. AUGUSTI.

IN FESTO

SS. ONESIMI, ERASMI,

Et Soc. MM. translat. ex die 31. Julii. Duplex. Omnia de communi plurim. Martyrum praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui nos annua SS. Martyrum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Onesimus in persecutione Decii comprehensus cum Alphio, Philadelpho, Cyrino, Erasmo, ac trede-

cim aliis Discipulis in Vasconia, ubi Evangelicae salutis semen disseminabat, ad Nigellionem Praefectum conducitur, in cujus conspectu intrepide Jesum Christum divino cultu adorandum asseverans, maxillis lapide contunditur. Tum reliqui ejus exemplo exciti; et nos etiam Christiani sumus, exclamant: Discipulos ne dimittas impunes, dum Magistrum crucias: agedum conjunge nos eidem certamini; quorum eadem est sententia. Adjungam vos, inquit Nigellio, nefario Praeceptori: quare eos per totum diem crinibus suspensos torquet.

℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis: * Terra apparuit arida: et in mari Rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. Terra.

Benedictio. Christus perpetuae.

LECTIO V.

Postridie Romam ligatis ad terga manibus ad Decium missi Licinio Valeriano traduntur: qui primum Sanctos manibus, pedibusque gravissimo ligno devinctis in custodia habere praecepit; ubi a Sanctis Apostolis Petro, et Paulo (vinculis ex ipso conspectu resolutis) ad perferendos cruciatus inflammantur. Post aliquot dies in quaestionem vocati, Senatum universum de vana idolorum superstitione reprehendunt. Tum Valerianus blanditiis agendum ratus, honores, divitiasque pollicetur, si a Christo deficere in animum inducant. Sed ubi locum pollicitationibus non dari percepit, nervis acriter verberatos ad Diomedem Puteolorum Praefectum dimittit.

℟. Verbera carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut haeredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut.

Benedictio. Ignem sui amoris.

LECTIO VI.

Tunc Diomedes Onesimo ait: tu simplices adolescentium animos pravis dogmatibus decepisti? Ego, respondit, illos non decepi, sed ab ignorantia vindicans, in viam veritatis deduxi. His verbis accensus Praefectus ingenti lapide Onesimum comprimi jubet. Quare Sanctus Praeceptor Sanctissimam Animam Domino commendans de Tyranno triumphavit. Erasmus vero, et tredecim condiscipuli extra Urbem capite plectuntur circiter Kalendas Augusti. Quorum corpora a Christianis sepulta sunt, sed Erasmi Corpus divino monitu praemonstratum, a S. Neophyto Episcopo Leontino asportatum est, et in sepulchro Sanctorum Fratrum honorifice conditum.

℣. Tamquam aurum in fornace, probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos: et in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum, et pax est electis Dei.

℟. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.
cap. 24.

LECTIO VII.

In illo tempore: Sedente Jesu super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando haec erunt? Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi

Comment. in Matth. cap. 25.

Discipuli Dominum interrogant, quando haec fierent, quodque signum et adventus sui, et consummationis saeculi noscerent? Et quia tria haec in unum quaesita sunt, distinctis et temporis intelligentiae significationibus separantur. Respondetur igitur primum de civitatis occasu: et confirmantur veritate doctrinae, ne quis fallax ignorantibus posset obrepere. Venturi enim erant etiam eorum tempore, qui se Christum essent nuncupaturi. Ut igitur fides pestifero mendacio detrahi posset, admonitio praecessit.

℟. Propter testamentum Domini, et leges paternas Sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: *Quia unus fuit semper spiritus in eis, et una fides.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Quia unus.

LECTIO VIII.

Confirmat igitur eos ad tolerantiam passionum, fugae, verberationis, interitus, et publici in eos odii propter nomen ejus. Atque his quidem vexationibus multi turbabuntur, et tantis insurgentibus malis scandalizabuntur, et usque in mutuum odium excitabuntur. Et falsi prophetae erunt, (ut Nicolaus unus ex septem Diaconis fuit) multosque ementita veritate pervertent: et abundante nequitia caritas refrigescet.

℟. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis: * Mercedem laboris ego reddam vobis.

℣. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem.

Gloriam Patri. Mercedem.

LECTIO IX.

Sed usque in finem perseverantibus salus reservata est: ac tum per omnes orbis partes viris Apostolicis dispersis, Evangelii veritas praedicabitur. Et cum universis fuerit cognitio sacramenti caelestis invecta, tum Jerusalem occasus, et finis incumbet: ut praedicationis fidem et infidelium poena, et metus civitatis erutae consequatur. Haec igitur in eam, ut fuerant praedicta, perfecta sunt: et lapidatis, fugatis, peremptis Apostolis, fame, bello, captivitate consumpta est. Ac tum fuit digna non esse, cum ejectis praedicatoribus Christi, indignam Dei praedicatione se praebuit.

Te Deum laudamus.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

IN FESTO

SS. EUTYCHETIS, ET ACUTII MR.

Duplex

Hic assignat. ab Ordinario. Omnia ut in Breviario die 19 hujus. Lectiones 1. Noct. de scriptura occurr. Oratio. *Deus, qui nos annua SS. etc.*

DIE XXIII. SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. SOSII LEVITÆ, ET MART.

Duplex.

Omnia de com. un. Mart. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui flamma ignis Beatum Sosium Levitam tuum praesignasti Martyrem, et ad passionem invicta virtute roborasti: da nobis illius semper et exempla sectari, et patrocinio muniri. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sosius Ecclesiae Misenatis in Campania Diaconus, vir extitit vere salutaris, saevientibus in Christi fideles Diocletiano, et Maximiano, Christianam Religionem mirifice illustravit. Hujus viri sanctitas, et praeclara apud Deum merita tunc maxime patuerunt, cum aliquando in Ecclesia pro Officii sui munere divinam legeret in Sacrosanctis Evangeliis doctrinam Christi; etenim incendium caritatis, quae in ejus corde diffusa erat, exterius etiam visibili signo evidenter innotuit, atque illico e sacro illius capite flammae ignis exsurgere visae fuerunt. Quamobrem Sanctus Januarius Beneventi Episcopus, qui forte tunc aderat, hac visione edoctus, Beatum Levitam pro fide viriliter certaturum agnovit, eumque Christi Martyrem fore indubitanter asseruit. Faustum vaticinium probavit eventus.

℟. Honestum fecit illum, etc.

LECTIO V.

Nam Sosius jussu Campaniae Praesidis comprehensus, cum a fide servanda nullo pacto removeri posset, ab impio Judice damnatur ad bestias. Interim

in carcerem Puteolanum truditur ; in quem et Proculus Diaconus , Eutyches, et Acutius conjecti sunt ; ibique detinetur , donec et S. Janarius una cum Festo Diacono , et Desiderio Lectore , Deo sic disponente , eo pertractus est : ut , cujus charismata fuerat admiratus , et coronas praenuntiaverat , socium acciperet nobilis pugnae , ac triumphi consortem. Ergo S. Levita una cum Januario , caeterisque Christi militibus in amphitheatrum adductus, feris discerpendus objectus est , quae naturalis oblitae feritatis nec Sosio , nec Sociorum ulli nocuerunt.

℟. Desiderium animae ejus , etc.

LECTIO VI.

Insigne prodigium dementissimus Praeses non supernae Dei virtuti , sed magicis cantionibus tribuens, sententiam capitis in Christi martyrem pronunciavit. At iniquum judicium ultio Divina subsecuta est. Nam idem Praeses oculis repente captus , nonnisi orante mox Beato Januario , lumen recepit. Quo beneficio ingratus homo nihilo placatior factus, sed in sua saevitia , et Religionis odio persistens , latam sententiam executioni mandari praecepit. Itaque Beatus Sosius vitam Ecclesiastico ministerio conspicuam, Fideique ardore praestantem , triginta annos natus amputato capite illustri Martyrio coronavit. Ejus sacrum corpus , ut traditum est, Neapoli in Ecclesia ipsi beato Martyri , et Sancto Severino dicata a Monachis Cassinensibus Ordinis S. Benedicti debita religione asservatur.

℟. Stola jucunditatis , etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones Homil. S. Hilarii Episc. in Evang. Nolite arbitrari etc. (*ut in Festo S. Valentin. 14. Februar.*)

DIE III. OCTOBRIS.

IN FESTO

SS. FESTI, ET DESIDERII Mm. SOC. S. JANUAR. EPISC.

Dupl. Omnia, ut in Brev. die 19. Sept. praeter lect. 2. noct. quae dic. hoc modo.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Festus Diaconus Sancti Januarii Episcopi, et Desiderius Lector comprehensi, vinctique una cum Episcopo ante rhedam Praesidis Puteolos pertrahuntur, et in eumdem carcerem, in quo Sosius Misenas, et Proculus Puteolanus Diaconus, Eutyches, et Acutius laici ad bestias damnati detinebantur, simul conjiciuntur.
℟. Sancti tui.

LECTIO V.

Postero die omnes in amphiteatro feris objecti sunt: quae naturalis oblitae feritatis, ad Januarii pedes se prostravere. Id Timotheus magicis cantionibus tribuens, cum sententiam capitis in Christi Martyres pronunciasset, oculis repente captus, orante mox beato Januario, lumen recepit: quo miraculo, hominum millia fere quinque Christi fidem susceperunt.
℟. Verbera carnificum.

LECTIO VI.

Verum ingratus Judex nihilo placatior factus beneficio, sed conversione tantae multitudinis actus in rabiem; veritus maxime Principum decreta, sanctum Episcopum cum Sociis gladio percuti jussit. Horum corpora finitimae urbes, pro suo quaeque studio certum sibi Patronum ex iis apud Deum adoptandi, sepelienda curarunt.
℟. Tamquam aurum.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

S. PULCHERIAE VIRGINIS IMPERATRICIS

Hac die assign. ab Ordinario sub ritu dupl. Omnia de comm. Virg. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui B. Pulcheriam Virginem tuam singulari Castitatis praerogativa decorasti, quique illi ad defendendam Ecclesiam tuam summum Fidei amorem tribuere voluisti, concede, ut ejus intercessione Tibi puris mentibus inhaerentes, ab omnium hostium insidiis misericorditer liberemur. Per Dominum.

Lectiones I. Nocturni de script. occ.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV.

Ælia Pulcheria Augusta, Patre, Avo, Fratre, atque Viro Romanorum Imperatoribus maxime nobilis, profligatis sua praesertim opera haereticorum erroribus, et Catholico dogmate circa incarnationis Mysterium, et Divinam Maternitatem constituto multo nobilior, ab ipsa pueritia tanta sapientia divinitus praedita fuit, ut ii, quibus post Arcadii patris obitum Imperii procuratio, dum Theodosius adolesceret, commissa fuerat, ejus arbitratu omnia facerent; essetque constans opinio, unius puellulae virtute, ac sapientia, quae instare, atque ingruere videbantur pericula, discussa, et felicitatem Imperio constitutam. Domi assidua disciplinae exactrix, eam vivendi formam induxit, ut illa jam non Aula Imperatorum, sed Asceterium vulgo diceretur. Theodosium fratrem,

Eudoxiam, quam illi matrimonio conjungendam curavit, Flaccillam, Arcadiam, Marinam sorores ita imbuebat bonis moribus, exercebatque ad virtutem, ut, quibus aetate non multum praestabat, eorum moderatrix, ac propemodum mater esse videretur. Qua institutione Sorores quantum profecerint, vel ex hoc uno intelligi potest, quod Pulcheriam imitatae, se, suamque Virginitatem Deo devoverunt: utque Augusta Virgo ea, quae decreverat, amplius confirmaret, omnesque voluntatis suae testes haberet, ex auro, et pretiosis lapidibus sacram mensam in Ecclesia Constantinopolitana pro Virginitate sua, et Fratris Imperio dedicavit, et in fronte ipsius mensae haec eadem inscripsit.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et.

LECTIO V.

Potior autem ejus in Theodosio instituendo eluxit cura; eumque, ubi opus esset, mira quadam dexteritate corrigebat: qui quidem talis est effectus, ut absolutissimum optimi, vereque Christiani Principis exemplar fuerit, dum Pulcheriae consiliis est obsequutus. Post diuturnam cum Fratre concordiam, turbis malevolorum fraude, atque obtrectatione in Aula excitatis, tempus nacta, quo sibi jam uni, Deoque vacare posset, secessit in Hebdomum, locum Byzantio suburbanum, ibique vitam agens pene monasticam aliquandiu se continuit: cum vero felicitas Imperii una cum ea exularet, a Fratre accersita, ubi deesse vidit, qui praelia Domini pugnaret, Deboram imitata, fide, ac religione armata processit, et missis in omnem partem epistolis, hortando, monendo, minitando, non pecuniae, non laboribus parcens, digna effecta est, quam Patres Concilii Chalcedonen-

sis una omnium voce, atque praeconio Custodem Fidei, pacis Conciliatricem, Expultricem haereticorum, Piam, Orthodoxam, novam Helenam (sicut Marcianum tunc Imperatorem, novum Constantinum) consalutarent; cuique S. Leo totius Romanae Ecclesiae nomine plurimum gratularetur, ejusque causa exsultare se diceret, ac digna Deo vota persolvere, quod de Nestoriana primum impietate, mox de nefario Eutychètis errore perempto duplicem illi et palmam contulerat, et coronam.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

LECTIO VI.

Atquae hae tantae curarum moles, quas praesertim in Ephesino, ac Chalcedonensi Conciliis Romanorum Pontificum auctoritate convocatis necessario susceperat, nihilo illam ad caetera Christianae pietatis officia obeunda fecere segniorem. Assidue caelestium rerum contemplatione, sacrorom Librorum lectione, corporis afflictationibus sponte susceptis se exercebat. Psalmos de nocte surgens una cum Regiae Familiae Principibus decantabat, Dei, ac Sanctorum (quorum et colloquio non semel dignata est) cultrix eximia, quae etiam summopere semper contendit, ut erga eorum Reliquias cultus augeretur. Deiparam in primis coluit, cui hanc ipsam Deiparae appellationem contra Nestorianorum blasphemias asseruit: voluit namque summa Sapientiae suae dispositione Divina Providentia, ut per Virginem summa Virginis dignitas inoffensa penitus servaretur, quam etiam est imitata servando perpetuam in ipso conjugio virginitatem, cujus denique cultui amplificando complura templa regali plane magnificentia excitavit, donariis auxit, reditibus locupletavit. In placanda Divina Ju-

stitia mira pietate enituit. Fuit erga pauperes misericordia plane singulari, quos et materna quadam caritate complexa est, quoad vixit, et moriens eorum, quae assidua, effusissimaque liberalitas reliqua fecerat, scripsit haeredes. Quod cautum ab ipsa testamento fuit, diligenter curavit Marcianus, quem pari religionis studio, rebusque omnibus Imperio dignissimum ipsa evexerat ad imperium, sibique hanc ipsam ob causam, salva, quam Deo voverat, virginitate, conjugem delegerat. Obiit anno quadringentesimo quinquagesimo tertio, magno omnium luctu, maximisque Sanctorum Patrum, caeterorumque ejus aevi Scriptorum laudibus celebrata.

℟. Afferentur Regi Virgines post eam, proximae ejus, * Afferentur tibi in laetitia, et exultatione.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.
C. XVII. 3.

In illo tempore dixit Jesus: Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Episcopi Alexandrini

De Fide ad Pulcheriam, et Sorores Reginas.

LECTIO VII.

Sane vos sacras, castissimasque Christi omnium nostrum Salvatoris sponsas, religiosissimae, ac Deo dilectissimae Imperatrices, orbis terrarum ornamentum, sanctissimarumque Ecclesiarum decus optimo jure quis-

que appellaverit, in quibus nimirum omne virtutum genus, omnisque ornatus Divinae Majestatis oculis gratus, acceptusque mirifice splendet. Neque his opipus contentae, omnem quoque curam, omneque studium adhibetis, quo fide recta, nullamque in partem vacillante, excellatis. Neque Christi Regnum capessere, et ea, quae illi grata sunt, facere, et sentire omittitis, partim quidem praeclaris actionibus, partim rursum cum vestras, tum Principum quoque vestrorum aulas Virginitatis gloria condecorantes, partim denique sumptuosissima templa Christo Domino excitantes; nam et hoc quoque pietatis studium inter caetera ille sanctis vestris animis impertitus est.

℟. Haec est Virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, quae acceptis lampadibus, sumpsit secum oleum. * Et veniente Domino, introivit cum eo ad nuptias.

℣. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei. Et.

LECTIO VIII.

Igitur ex sacris litteris vobis vere sanctis Christi Sponsis (quamquam ad quodvis opus bonum abunde instructae videamini) aliquid depromam. Hinc etenim et Emmanuelem verum, ac naturalem Deum, et Virginem Matrem, quae eum peperit, veram per ipsum Deiparam esse, planum fiet. Ait Christus, haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Si eum solius, verique Dei cognitione Jesu Christi cognitionem necessariam, consociatamque esse oportet, et hoc ipsum aeternam vitam conciliat; cui obscurum esse potest, Christum verum esse Deum? Verbum sane caro factum est, sed mansit interim Verbum.

℟. Media nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

℣. Prudentes Virgines aptate vestras lampades. Ecce. Gloria Patri. Ecce.

LECTIO IX.

Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Qualem itaque gloriam Filius a Patre accepisse se narrat, quam nobis deinde communem fecerit? Sane ipse ab hac quaestione nos liberat, dum ait: ut unum sint, sicut et nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum, secundum propriam hypostasim, alius a Patre esse dignoscatur, naturali tamen identitate unum plane, et idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud; unum quoque nobiscum factum est? Ad eumdem omnino modum, puta secundum essentialem, et naturalem identitatem. At cum Divina natura tanto a creatura distet intervallo, ut secundum essentiam cum ea coire nequaquam valeat; ecquo, inquis, modo secundum naturam unum ille factus est nobiscum, qui omnem omnino creaturam excellit? Verbum factum est homo: ut quemamdomum in Deitate unum, et idem est cum Patre; ita secundum naturae humanae habitudinem sit unum quoque nobiscum.

Te Deum laudamus.

In II. Vesp. fit a cap. de SS. Gavino etc. Mm. Commem. S. Pulcheriae, et Ss. Chrysanthi etc. Mm.

DIE XXX. OCTOBRIS.

IN FESTO

S. MAXIMI MARTYRIS CUMANI.

Omnia de Communi unius Mart. non Pontificis 1. loco praeter haec propria.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui Beatum Maximum Martyrem tuum per signum Crucis tormenta superare fe-

cisti : concede propitius, ut ejus intercessione omnia adversantia superemus, et redemptionis tuae fructus percipere mereamur. Qui vivis, etc.

Lect. 1. *noct. de script. occ.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Cum Diocletianus, et Maximianus imperarent, ubique persecutione in Christi fideles saeviente, Fabianus Praeses Cumas missus nihil praetermisit, ut ad Deorum cultum omnes traducerentur. At Maximus se muniens signo Crucis Praesidem adiit, impietatem exprobravit. Quamobrem cum ille ira exarsisset, Christi Martyr plumbatis primum contusus, conjectus est in vincula, nihilque ei cibi per decem dies omnino datur. Cum essent ibi fere ducenti, Angelo carceris januam aperiente, vincula omnium soluta sunt. Fit terraemotus : voces psallentium audiuntur. Illi obstupefacti repente ad ipsius pedes provoluti, baptismum petierunt: ac Maximi precibus ad Deum fusis, Maxentius Episcopus, qui Fabiani crudelitatem extimescens latebat, divinitus excitatus e somno, et ad carcerem advolans omnes baptizavit, qui aliquot post dies Martyrii coronam sunt adepti.

LECTIO V.

Hoc cum Praesidi nuntiatum esset, unum Maximum sisti sibi jussit, carbonibusque multis accensis ; nisi sententiam mutaveris, ait, pedibus tibi per hos incedendum est. Nihil commotus athleta Christi, seque Cruce signans integer, intactusque per subjectum ignem ambulavit. Mox equuleo torquetur ; qui tamen implorato a Maximo divino auxilio confractus est. Quod cum magicis artibus tribueretur : immo, inquit Maximus, arcesse e platea infantem, ut ex ejus ore

audias, quid sit de Christiana Religione sentiendum. Propere infans trimestris adductus, mirum in modum voces edidit, idola execratus est, et Christum unum verum Deum praedicavit. Quamobrem tortus, martyrio est coronatus.

LECTIO VI.

Instituit persecutor, atque inverso capite Maximum suspendit. Post septem dies cum spectatum octodecim milites venissent, repente oculis capti sunt. At his orante Maximo restitutis, et baptizati sunt, et gladio etiam pro Christo percussi. Deinde Fabianus Martyris lateribus faces admoveri jussit, quibus ipsi nihil nocitum est, ac multi ministri conflagrarunt, pluresque, qui aderant, Christi fidem susceperunt. His actis, in carcerem iterum inclusus est, ac deinde paucis post diebus eductus, flagellisque contusus, ad extremum abscisso capite prope Cumas Martyrii palmam est consecutus, et in via Caballaria sepultus. Populi frequentia, quae confluxerat, ipsique milites tantam Martyris constantiam admirati, cum vidissent etiam terraemotum insecutum ad Christum conversi sunt. Post annos quindecim Maximus cuidam Julianae in somnis apparens, inquit, se velle in urbe sepeliri; ubi videret Crucem, eam ostensuram locum sepulchri. Ita facile corpus integrum inventum, magnaque celebritate in urbem illatum est, ut Martyr imperaverat. Demum eversis Cumis, corpus Neapolim translatum est, et in Cathedrali Ecclesia religiose servatur.

Lect. 3. *Noct. sumuntur ex Homilia in Evang.* Nolite arbitrari, *ut* 14. *Februarii in festo S. Valentini Presb. et Mart.*

DIE V. NOVEMBRIS.

IN FESTO

S. CELSI II EPISCOPI PUTEOLANI, ET CONF. PATRONI MINUS PRINCIPALIS.

Duplex majus cum Octava. Omnia de Comm. Conf. Pontif. exceptis sequentibus.

Oratio.

Deus, qui B. Celsum Confessorem tuum ab Apostolo Petro Consecrationis munere decoratum, fidelem nobis Antistitem constituisti; praesta quaesumus, ut ejus intercedentibus meritis, Pietatis tuae munera consequamur. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Epist. B. Pauli Apostoli ad Timotheum. Fidelis sermo, *ut in comm. Conf. Pont.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Celsus a Petro Apostolo Puteolorum ordinatus Episcopus, celsitudinem, quam nomine praeferebat, vita, et moribus exhibuit. Nam a teneris annis curis omnibus exsolutus, caelestem in terris vitam instituit, orationi deditus, die, nocteque precibus insistebat, nihil se praeter Christum, et hunc crucifixum scire profitebatur. Post acceptam Sacri Chrismatis unctionem adeo se temperavit, ut nullis unquam contumeliis provocatus ad iram, nullis laudibus sit ad superbiam

elatus: sed gregis sibi commissi utilitati, quemadmodum de Paulo Apostolo dicitur, cum omni humilitate, et lacrymis serviebat.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

LECTIO V.

Erat tunc Puteolana Civitas antiquis ethnicae superstitionis involuta erroribus, atque inter Bajani litoris delicias indignis voluptatibus dedita, unde et Christianae Religionis puritatem, et Pastoris Sanctissimi monita obstinatissime respuebat. Quamobrem incredibile dictu est, qua constantia in evellendo inanium Deorum cultu labores plurimos sustinuerit, quo studio ad suorum Civium a veritatis via aberrantium salutem incubuerit, qua patientia flagitiosorum hominum, qui eum e medio tollere satagebant, insidias, et machinationes pertulerit.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

LECTIO VI.

Elucebat in eo praecipue caritas erga proximum, ita ut non amicos solum, sed etiam inimicos diligeret, quibus beneficia pro maleficiis rependebat. In egenos tanta commiseratione ferebatur, ut quidquid haberet, pauperibus erogaret, quam benignitatem in inopes ab ipsa pueritia praemonstravit. Inter haec, aliaque pietatis opera cum plurimos ab Idolorum cultu ad Christianam Religionem tum exemplo, tum concionibus traduxisset, Puteolana Ecclesia inter ingen-

tes persecutionum procellas sanctissime gubernata, ad caelestem gloriam evolavit, merito postea in peculiarem Patronum a Puteolanis adscriptus. Ejus corpus Puteolis honorifice asservatur in Ecclesia ejusdem nomini dicata.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.
***cap.* 10.**

LECTIO VII.

In illo tempore dixit Jesus Pharisaeis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papae.
Homil. 14. in Evangelia.

Audistis fratres carissimi, ex lectione evangelica eruditionem vestram; audistis et periculum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidenti dono, sed essentialiter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus. Atque ejusdem bonitatis formam, quam nos imitemur, adjungit, dicens: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Fecit, quod monuit: ostendit quod jussit. Bonus pastor pro ovibus suis animam suam posuit, ut in Sacramento nostro corpus suum, et sanguinem verteret, et oves, quas redemerat, carnis suae alimento satiaret.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum; stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

LECTIO VIII.

Ostensa nobis est de contemptu mortis via, quam sequamur: apposita est forma, cui imprimamur. Primum nobis est, exteriora nostra misericorditer ovibus ejus impendere: postremum vero, si necesse sit, etiam mortem nostram pro ejusdem ovibus ministrare. A primo autem hoc minimo pervenitur ad postremum majus. Sed cum incomparabiliter longe sit melior anima, qua vivimus, terrena substantia, quam exterius possidemus; qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam?

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominns vester venturus sit. Et. Gloria Patri. Et.

LECTIO IX.

Et sunt nonnulli, qui dum plus terrenam substantiam, quam oves diligunt, merito nomen pastoris perdunt: de quibus protinus subditur: mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit. Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quaerit: terrenis commodis inhiat, honore praelationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia laetatur.

Te Deum laudamus.

DIE XII. NOVEMBRIS.

OCTAVA S. CELSI EPISC.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Gregorii Papae.
2. par. post pastor. cap. 1.

LECTIO IV.

Tantum debet actionem Populi actio transcendere Praesulis, quantum distare solet a grege vita Pastoris. Oportet namque, ut metiri se sollicite studeat, quanta tenendae rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus aestimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est, cogitatione mundus, actione praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

LECTIO V.

Considerandum quoque est, quia cum curam populi electus Praesul suscipit, quasi ad aegrum me-

dicus accedit. Si ergo adhuc in ejus corpore passiones vivunt, qua praesumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ille igitur modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem Corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus, qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

LECTIO VI.

Unde ipsum quoque Episcopatus Officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non hunc per boni operis ministerium, sed honoris gloriam quaerit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditationis cogitatione, caeterorum subjectione pascitur: laude propria laetatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quaeritur, sed ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad Caelestia regna. Ipse, Gloria Patri. Ipse.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.
cap. 10.

LECTIO VII.

In illo tempore: Dixit Jesus Pharisaeis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.
Homil. 59. in Joannem.

Magnum quiddam, dilectissimi, magnum, inquam, est Ecclesiae praelatio, et quae multa indiget sapientia, et fortitudine, qualem Christus proposuit, ut animam pro ovibus ponamus, et numquam illas deseramus; ut lupo generose resistamus. Haec enim inter pastorem, et mercenarium est differentia. Alter propriae, contemptis ovibus; alter sua contempta, ovium semper saluti invigilat. Pastoris ergo exemplo demonstrato, deceptores duos meminit; furem mactantem, et rapientem oves, et mercenarium permittentem, neque defendentem commissas.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas Paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

LECTIO VIII.

Quod superiori tempore Ezechiel his verbis insectatus est: Vae pastoribus Israel, nonne pascebant semetipsos? nonne greges pascuntur a pastoribus? Sed illi contrarium faciebant, quod maximae malitiae genus est, et plurimorum causa malorum. Id-

circo inquit: Neque quod abjectum erat, reducebant: neque quod perierat, quaerebant: neque confractum alligabant; neque infirmum consolidabant, quoniam se, non gregem pascebant. Idem et Paulus aliis verbis significat. Omnes, quae sua sunt, quaerunt, non quae Jesu Christi.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

LECTIO IX.

Verum ab utroque se dissidere ostendit Christus: ab illis quidem, qui in aliorum perniciem veniunt, cum dicat se propterea venisse, ut vitam haberent, et abundantius haberent: ab his autem, qui oves a lupis rapi negligebant, dicendo se propter eas animam ponere, ne oves perirent. Nam cum Judaei ipsum interimere vellent, non propterea destitit a doctrina, neque credentes tradidit, sed perstitit, et pertulit mortem: ideo frequenter inquit. Ego sum pastor bonus. Quae cum nullo niti testimonio viderentur, (quod enim poneret animam suam non multo post re monstratum est: quod autem vitam haberent, et abundantius haberent, eventurum erat in futuro saeculo) alterum ab altero confirmat.

Te Deum laudamus.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

IN FESTO

S. PATROBÆ.

Primi Episcopi Puteolani. Duplex. Omnia de comm. Conf. Pont. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui Gregem tuum B. Patrobae Confessoris, atque Pontificis Pastorali sollicitudine in Confessione tui nominis adunasti, eodem nobis interveniente, concede, ut quod fide profitemur, pietatis operibus jugiter impleamus. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Patroba inter septuaginta duos Christi Discipulos numeratus, cujus Paulus ad Romanos iis verbis meminerat: Salutate Patrobam Hermem, et qui cum eo sunt Fratres, Hyppoliti Martyris testimonio Puteolorum Episcopus ordinatus, Apostolico functus munere, coepit Christum Puteolanis incolis praedicare. Hanc tribulentissimam ferarum sylvam ingressus, nunquam destitit, superstitiones, quae radices altissime per tot saecula fixerunt, evellere, depravatos mores corrigere, lascivorum hominum licentiam ad Christianam continentiam revocare; denique Deorum numina, vana demonstrare. Tandem cum multas Gen-

tilium molestias, et insectationes magna animi constantia superasset, atque ad Christi Religionem multos tum exemplo, tum verbis convertisset, Apostolica laude clarus migravit in Caelum.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Quinta, et sexta Lectio ex sermone Sancti Maximi Episcopi. Ad Sancti, ac Beatissimi Patris nostri, *ut in Breviario ex comm. Conf. Pont.*

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de Homilia S. Hilarii Episc. in Evang. Vigilate quia nescitis, ut ex comm. Conf. Pont.

DIE XVI. NOVEMBRIS

IN FESTO

S. PROCULI.

LEVITAE, ET MARTYRIS CIVITATIS, ET DIOECESIS PUTEOLANAE PATRONI PRINCIPALIS. DUPLEX 1. CLASSIS CUM OCTAVA.

Officium totum proprium.

AD VESPERAS

Antiphonae.

Incipite Domino in tympanis; cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum, quia Beatus Proculus exaltavit caput in Gloria. (*Judith.* 16.).

Psalm. Dixit Dominus.

Confessus est bonam confessionem coram multis testibus, ideo laudatio ejus manet in saeculum saeculi. (*Paul.* 1. *ad Tim.* 12.).

Psalm. Confitebor tibi.

Confirmatum est cor ejus in Domino, et in memoria aeterna erit apud Fratres suos.

Psalm. Beatus vir.

Resonate colles laudationem, quoniam qui in altis habitat, collocavit eum cum Principibus Populi sui. (*Isai.* 44.).

Psalm. Laudate pueri.

Misericordia Domini super justum suum, et veritas fidei ejus manet in aeternum.

Psalm. Laudate Dominum omnes.

Capitulum.
Apoc. 6. 2.

Vidi, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

Divino Proculus numine concitus
Pro Christo impavide praelia suscipit;
Hostemque increpitans insuperabile:
Robur pectoris objicit.
Acres inde vigens sustinet impetus,
Inflammata licet barbaries furat,
Intentetque minas, ac fidei inclytum
Curet perdere Vindicem.
Circumjecta sacro vincula corpori,
Angusti illuvies horrida Carceris,
Nec non dura fames, mortis et imminens
Terror nil animum movent.
Illi nam validam suppeditans opem,
Ac augens animos, summus adest Deus:
Hinc infesta premunt, quo gravius mala
Virtus clarior emicat.
Sanctae sit Triadi gloria jugiter,
Quae fuse meritis praemia largiens
Victorem Proculum saecla per omnia
Caelesti in Patria beat. Amen.
℣. Accepit Regnum decoris.
℟. Et diadema speciei de manu Domini (*Isai* 5. 17).

Ad Magnificat Antiphona.

Qui habet in Caelis habitationem, adjutor est loci istius, et venientes ad malefaciendum percutit, et perdit (2. *Machab.* 3.)

Oratio.

Deus invisibilis fortitudo certantium, atque aeterna Martyrum corona, adesto precibus nostris, ut qui hodierna die Beatissimi Levitae Proculi gloriosum triumphum solemniter celebramus, ejus intercessione, et exemplo certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in Caelis. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Beatus Proculus Christi Levita, et Martyr triumphat coronatus in Caelis: * Jubilemus Deo salutari nostro. Venite exultemus.

HYMNUS.

Praelio jam uno superatus hostis,
Ad novos ausus animis resumptis,
Imperat saevae Proculum ferarum
Tradier irae.
Ergo mox loris trahitur revinctus,
Fortis Athleta in caveae profundum;
Ore et expectat placido frementis
Agminis ictus.
Belluae ex antris veniunt ruentes:
Ast ubi occurrunt Proculo, furorem
Illico ponunt, simul atque plantas
Lambere certant.
Turba spectatrix tacita obstupescit,
Vimque praesentit renuens potentem,
Alma sic Sanctae Fidei per orbem
Gloria crescit.
Laus sit aeternae Triadi perennis,
Quae dedit tales Proculo triumphos;
Hunc et in Caelis cumulat coronis
Omne per aevum. Amen.

Antiphonae I. Noct.

Beatus Levita in via peccatorum non stetit, sed in lege Domini fuit semper voluntas ejus.
Psalm. Beatus vir *cum reliq. de comm. I. Mart.*
Insurrexerunt impii adversus Dominum, et adversus Sanctum suum, et qui habitat in Caelis irrisit eos.
Psalm. Quare fremuerunt.
Factus est Dominus susceptor ejus, gloria ejus, et exaltans Martyrem suum a facie tribulantis.
Psalm. Domine quid.
℣. Accepit Regnum decoris.
℟. Et diadema speciei de manu Domini.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

De Epistola II. B. Pauli Apostoli ad Corinthios cap. 4.

Non nosmetipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum; Nos autem servos vestros per Jesum: Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: Ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.
℟. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus

tutavit illum : * Et certamen forte dedit illi, ut vinceret. (*Sapien.* 10. 12.).

℣. Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra. (*Joan.* 5. 4.).

Et certamen, etc.

LECTIO II.

De ejusdem Epistola ad Ephesios.
cap. 3.

Notum mihi factum est Sacramentum, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est Sanctis Apostolis ejus, et Prophetis in spiritu, Gentes esse cohaeredes, et concorporales, et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium : cujus factus sum Minister secundum donum gratiae Dei, quae data est *mihi* secundum operationem virtutis ejus. Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia haec, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit. Ut innotescat principatibus, et potestatibus in Caelestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro : In quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem ejus. Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis : quae est gloria vestra. Tu autem Domine etc.

℟. Sapientia justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam : * Et in vinculis non dereliquit illum (*Sap.* 10. 13.).

℣. Laboro usque ad vincula, quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum (*II. ad Tim.* 2. 9.)

Et in vinculis etc.

LECTIO III.

De ejusdem Epistola ad Philip.
cap. 1.

Mihi vivere Christus est, et mori lucrum: quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam, ignoro. Coarctor autem e duobus: Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, et gaudium fidei, ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos. Tantum digne Evangelio Christi conversamini: ut sive cum venero, et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes Fidei Evangelii; et in nullo terreamini ab adversariis: quae illis est causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo: quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini: idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me.
Tu autem Domine etc.

℟. Agonizavit pro anima sua *, Et usque ad mortem certavit pro justitia (*Eccl.* 4. 83.)

℣. Instans orationi, et ministerio verbi, hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino. (*Actor.* 11. 23.).

Et usque etc. Glor. Patr. etc. Et usque etc.

IN II. NOCTURNO.

Antiphona.

In tormentis invocavit Dominum, et ipse in tribulatione dilatavit cor ejus.

Psalm. Cum invocarem.

Deduxit eum in justitia sua, et scuto bonae voluntatis suae coronavit eum.

Psalm. Verba mea.

Ex ore servi tui perfecisti laudem tibi, Domine, et destruxisti inimicum, et ultorem.

Psalm. Domine Dominus.

℣. Laetitia sempiterna super caput ejus.

℟. Gaudium, et exultationem obtinebit (*Isai* 35. 10).

LECTIO IV.

Proculus Civis Puteolanus, ejusdemque Ecclesiae Diaconus, cum Praeses Dracontius, draconis more, Christianos vehementer insectaretur, ac Sosium Misenatem Diaconum, Proculo sanctitate, et familiaritate conjunctissimum gravissime caesum in carcerem conjecisset, divino zelo inardescens, atque ea caritate, quae foras mittit timorem, Eutychete, et Acutio civibus ejusdem Civitatis Puteolorum comitantibus, Ministros gentiles ultro adiit, eosque liberrime increpavit. Hanc, inquit, miseri, et dementes, hominem benignum, et innocentem verberibus afflixistis, et tenebris addixistis, quia Principis tenebrarum noluit esse famulus? Ideo lucernam ardentem, quae sub modio contegi non potest, carceris obscuritate voluistis extingui? Heu detestabile judicium, heu execrabile factum, quod omnia jura manifeste condemnant. Quis aliquando Legislator indixit, ut justus condemnetur, aut innoxius puniatur? Tu autem Domine etc.

℟. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo: * Quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. (*Cant. Isa.* 12. 2.).

℣. Detur mihi sermo cum fiducia notum facere Mysterium Evangelii, pro quo legatione fungor in catena. (*Paul. ad Eph.* 19.)

Quia fortitudo etc.

LECTIO V.

Haec audiens Dracontius, Proculum, et comites simul sibi sisti imperat: Et unde, inquit, vobis tanta contumacia, et Principum contemptus? Si poenarum vos fatuus allicit appetitus, efficiam, ne impune haec vestra cedat garrulitas. Cui illi: Vestram, o Judex, pro nihilo ducimus saevitiam, desideramus in Christi inveniri consortio, quem vos insaniisse putatis, quatenus cum eo vitam adipisci mereamur aeternam. Tum Dracontius Sosium ad se adduci jussit inedia, et squallore confectum, ut in eo aspectu Proculum, et socios deterreret. Sed cum omnes tanta impietate magis confirmarentur, verberibus crudelissime affectos in carcere detrudi jubet, ut qui erant Religione, et animo, ita essent loco, et supplicio conjunctissimi. Tu autem Domine etc.

℟. Domine manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores * Sed propter timorem tuum libenter haec patior. (2. *Mach.* 6. 30.)

℣. Gaudeo in passionibus, et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi in carne mea (*Paul. ad Coloss.* 1. 24.)

Sed propter etc.

LECTIO VI.

Dracontio Timotheus Campaniae Praeses suffectus, Januarium Beneventanum Antistitem post graviora tormenta eodem includit in carcere, ne tam illustres Diaconi paris gloriae carerent Episcopo. Deinde omnes in Amphiteatrum eductos, bestiis objecit. Sed cum Praeses belluinam feritatem induisset, ferae in humanitatis sensum in conspectu omnium traducuntur; etenim ad Sanctorum pedes, veluti oves mitissimae procumbentes, illorum corpora non attigerunt.

Praeses vero ad tanti fulgorem miraculi magis caecutiens, eos capite plecti jubet. Atqui orante S. Januario, repente oculorum lumen amisit, eoque iterum deprecante, idem denuo recepit. Cum vero quinque fere hominum millia ad fidem converti videret ingratus Judex, in pristina mentis caecitate pertinacior; Januarium cum reliquis iterum jussit decollari; Sanctorum corpora finitimae Civitates summa exceperunt veneratione; sed Puteolani Sancti concivis sui Proculi corpus religiosissime sibi asservatum, eum in peculiarem Patriae Patronum adoptarunt, quam non semel a praesenti discrimine liberavit. Anno vero millesimo septingentesimo septuagesimo octavo Pius Papa VI. ad preces Episcopi Puteolani Officium proprium ejusdem S. Martyris a toto Clero saeculari, et Regulari recitari benigne indulsit. Tu autem Domine etc.

℟. Gloriosam mortem complectens, voluntarie praeibat ad supplicium: * Memoriam mortis tuae ad exemplum fortitudinis derelinquens. (2. *Machab.* 6. 31.)

℣. Majores divitias aestimans improperium Christi, aspiciebat in remunerationem (*Paul. ad Haebreos* 11. 26.). Memoriam etc. Gloria Patri etc. Memoriam etc.

Antiphonae.
IN III. NOCTURNO.

Intenderunt peccatores arcum, paraverunt sagittas suas: Oculi autem Domini super justum suum.

Psalm. In Domino confido.

Ad nihilum deduxit Dominus in conspectu ejus malignum; illum autem glorificavit.

Psalm. Domine quis.

Dedit eum in benedictionem, et laetificavit eum in gaudio cum vultu suo.

Psalm. Domine in virtute.

℣. Iste in excelsis habitavit.

℟. Regem in decore suo viderunt oculi ejus (*Isai.* 33. 16.)

LECTIO VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.
cap. 12.

In illo tempore : Dixit Jesus Discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.
Tract. 51. in Joan. sub medium.

Ipse Dominus Jesus erat granum mortificandum, et multiplicandum : mortificandum infidelitate Judaeorum, multiplicandum fide populorum. Jam vero exhortans ad passionis suae sectanda vestigia ; qui amat, inquit : animam suam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi potest : Qui amat, perdet : idest, si amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo : Qui amat animam suam, perdet eam: noli amare, ne perdas; noli amare in hac vita, ne perdas in aeterna vita. Tu autem Dom. etc.

℟. Coronans coronabit te Dominus tribulatione, quasi pilam mittet te in terram : * Ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae (*Isai.* 22. 18.)

℣. Mihi vivere Christus est, et mori lucrum ; gloriari me oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi. (*Paul. ad Philippens.* 1. 41.) Ibi morieris etc.

LECTIO VIII.

Hoc autem, quod posterius dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus. Sequitur enim : Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Ergo quod supra dictum est ; qui amat,

(subintelligitur in hoc mundo) ipse utique perdet; qui autem odit (utique in hoc mundo) in vitam aeternam ipse custodit eam. Magna, et mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor, ut pereat; odium, ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Tu autem Domine etc.

℟. Reddidit Deus servo suo mercedem laborum suorum; et deduxit illum in via mirabili. (*Sap.* 10. 17.) * Beate Procule Levita, et Martyr Christi intercede pro nobis.

℣. Omnia detrimentum fecit ad cognoscendum Christum, et societatem passionum illius configuratus morti ejus. (*Paul. ad Philippens.* 3. 8. 10.)

Beate Procule etc. Gloria Patri etc. Beate Procule etc.

LECTIO IX.

Sed vide, ne tibi subrepat, ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni, atque perversi homines, et se in ipsis crudeliores, et sceleratiores homicidae, flammis se donant, aquis se praefocant, praecipitio se collidunt, et pereunt. Hoc Christus non docuit: imo etiam Diabolo praecipitium suggerenti respondit; redi retro Satanas: scriptum est enim: Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans, qua morte clarificaturus erat Deum: cum esses junior, cingebas te, et ambulabas, quo volebas; cum autem senueris, alter te cinget, et feret, quo tu non vis. Ubi satis expressit, non a se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum laudamus.

Ad laudes Antiphonae.

Testimonia tua servo tuo credibilia facta sunt nimis, et firmaverunt eum manus tuae.

Psalm. Dominus regnavit.

In Hymnis confitemini Domino, quia Beatus Martyr introivit portas ejus in exultatione.

Psalm. Jubilate.

In vanum quaesierunt animam ejus, quia fuisti adjutor ejus, et suscepit illum dextera tua.

Psalm. Deus Deus meus.

Deus Dominus fortitudo mea, et deduxit me victor in psalmis canentem.

Cantic. Benedicite.

Caeli caelorum laudate Deum, quia Sanctus ejus exultavit in gloria, et laetatus est in cubili suo.

Psalm. Laudate Dominum de Caelis.

Capitulum.

Vidi, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret. ℟. Deo gratias.

HYMNUS.

Satis probata victima
Deo mactanda sistitur,
Statimque inflicto vulnere,
Caelo spectante, concidit.
Sic debellatis hostibus
Trophaea Proclus erigit;
Chorisque concinentibus
Ovans ad astra convolat.
O Procle, victor nobilis,
Nunc de supernis sedibus
Has dexter oras respice
Tuo perfusas sanguine.

Tibique caram Patriam,
Sacro ditatam pignore,
Praesenti fac custodia
Defendas usque ab hostibus.
Sit Trinitati gloria
Per universa saecula,
Quae Martyris victorias
Æterna exornat laurea. Amen.

℣. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini.
℟. Propterea decorem induit te Dominus.

Antiphona ad Benedictus.

Hic est Fratrum amator, hic est, qui multum orat pro Populo suo. (*Mac.* 15.)

Oratio.

Deus invisibilis fortitudo certantium, atque aeterna Martyrum corona, adesto precibus nostris, ut qui hodierna die Beatissimi Levitae Proculi gloriosum triumphum solemniter celebramus, ejus intercessione, et exemplo certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in Caelis. Per Dominum, etc.

AD TERTIAM.

Antiph. In hymnis.

Capitulum.

Vidi, et ecce equus, etc. *ut in Laudibus.*

℣. Accepit Regnum Decoris.
℟. Accepit, etc.
℣. Et diadema speciei de manu Domini.
℟. Regnum Decoris, etc. Gloria Patri, etc. Accepit, etc.
℣. Laetitia sempiterna super caput ejus.
℟. Gaudium, et exultationem obtinebit.
Oremus, etc.

AD SEXTAM.

Antiph. In vanum quaesierunt.

Capitulum. (*Apoc.* 3. 12.)

Qui vicerit faciam illum columnam in Templo Dei mei; et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen Civitatis novae Jerusalem. Deo gratias.

℣. Laetitia sempiterna super caput ejus.

℟. Laetitia. etc.

℣. Gaudium, et exultationem obtinebit.

℟. Super caput ejus. Gloria Patri, etc. Laetitia, etc.

℣. Iste in excelsis habitavit.

℟. Regem in decore suo viderunt oculi ejus.

Oremus, etc.

AD NONAM.

Antiph. Caeli Caelorum.

Capitulum. (*Apoc.* 8. 21.)

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Deo gratias.

℣. Iste in excelsis habitavit.

℟. Iste etc.

℣. Regem in decore suo viderunt oculi ejus.

℟. In excelsis, etc. Gloria Patri, etc. Iste etc.

℣. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini.

℟. Propterea decorem induit te Dominus.

Oremus, etc.

IN II. VESPERIS.

Omnia, ut in primis Vesperis, excepta ultima Antiphona, cujus loco ad Psalm. Credidi, etc. dicitur.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sancti ejus: credidit enim, et locutus est.

Ad Magnificat. Antiphona.

Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis Salvatorem, et Propugnatorem, qui liberet eos. (*Isai.* 19. 20.)

Oratio *ut supra.*

DIE XXII. NOVEMBRIS.

OCTAVA

S. PROCULI.

Levitae, et Martyris.

Omnia, ut in die Festi, praeter ea, quae sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lection. de script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo S. Augustini Episc.
(qui est de diversis 113.)

Spiritus Sanctus doceat nos in hac hora, quae oporteat dicere: dicturi enim sumus aliquid de laude Pro-

culi gloriosissimi Martyris, cujus natalem hodie, sicut nostis, celebramus. Quod nomen sic frequentat Ecclesia, id est, natales, ut natales vocet pretiosas Martyrum mortes. Quid est hoc, Fratres? quando natus est, ignoramus; et quia hodie passus est, natalem ejus hodie celebramus. Sed illum diem non celebraremus, etsi nossemus. Illo enim die traxit originale peccatum. Isto autem die vincit omne peccatum.

℟. Ecce Deus, *ut in die Festi.*

LECTIO V.

Istum nobis festum die passio Beatissimi Proculi Martyris fecit: cujus nos victoriae celebritas in istum locum devotissimos congregavit. Sed celebratio solemnitatis Martyrum, imitatio debet esse virtutum. Facile est honorem Martyris celebrari: magnum est fidem, atque patientiam Martyris imitari. Hoc sic agamus, ut illud optemus: Hoc sic celebremus: ut illud potius diligamus. Quid laudemus in fide Martyris? Quia usque ad mortem certavit pro veritate, et ideo vicit. Blandientem mundum contempsit, saevienti non cessit: ideo victor ad Deum accessit. Abundant in isto saeculo errores, et terrores. Beatissimus Martyr errores sapientia, terrores patientia superavit.

℟. Domine manifeste, etc.

LECTIO VI.

Contemnite ergo saeculum, Christiani, contemnite saeculum. Contemnite; contempserunt Martyres; contempserunt Apostoli, contempsit B. Proculus, cujus hodie memoriam celebramus. Divites esse vultis, honorati esse vultis, sani esse vultis: totum ille contempsit, ad ejus memoriam convenistis. Quid, obsecro, tantum amatis, quod contempsit, quem sic honoratis? Quem si ista non contempsisset, non utique

sic honoraretis. Quare te invenio earum rerum amatorem, quarum veneraris contemptorem? Certe illum, si haec amaret, non veneraretis. Et tu noli amare; non enim intravit; et ostium contra te clausit. Contemne et tu, et intra post illum.

℟. Gloriosam mortem, etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.
cap. 12.

LECTIO VII.

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

Discamus ergo: Fratres, amare animas nostras. Omnis voluptas est saeculi transitoria est. Est amor inutilis, est amor noxius: amor amore impeditur: amor noxius recedat, et amor utilis succedat. Sed quia homines nolunt illinc recedere, ideo in illos non potest aliud introire. Ut non capiant, pleni sunt: fundant, ut capiant. Vis, ut intret mel, unde acetum nondum fudisti? funde, quod habes, ut capias quod non habes. Ideo prima renunciatio est huic saeculo, et deinde conversio ad Deum. Qui renuntiat, fundit; qui convertitur, impletur: Sed si non fiat corpore solo, sed et corde.

℟. Coronans coronabit, etc.

LECTIO VIII.

Quaeritur autem, quomodo crescat iste amor: habet enim initia sua, habet augmenta sua, habet perfe-

ctionem suam. Primo illud attendat caritas vestra, amores omnes, et dilectiones prius sunt in hominibus de se, et sic de alia re, quam diligunt. Si diligis aurum, prius te diligis, et sic aurum; quia si tu mortuus fueris, nullus erit, qui aurum possideat. Ergo dilectio unicuique a se incipit, et non potest, nisi a se incipere, et nemo monetur, ut se diligat. Primum ergo dilige Deum, deinde teipsum; post haec dilige proximum tuum, sicut teipsum. Prius tamen disce amare teipsum; sic dilige proximum tuum, sicut teipsum: nam si teipsum non nosti amare, quomodo proximum poteris in veritate diligere? Si ergo vis verae caritatis ordinem custodire, fac justitiam, dilige misericordiam, fuge luxuriam, incipe, secundum praeceptum Domini, non solum amicos, sed etiam inimicos diligere. Et haec cum fideliter custodire toto corde contenderis, istis virtutibus, quasi quibusdam gradibus poteris ascendere, ut merearis Deum toto animo, et tota virtute diligere. Et cum ad istam felicem perfectionem veneris, omnes concupiscentias istius mundi, tamquam stercora computabis. Et cum Propheta poteris dicere: Mihi autem adhaerere Deo bonum est.

℟. Reddidit Deus.

LECTIO IX.

Pro S. Felicitate Martyre.

(ut in Brev. hac die)

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

IN FESTO

S. IRENES VIRGINIS, ET MART.

Hic ab Ordinario assignatae. In 1. *Noct. lectiones de Scriptura occ., Lect:* 2. *Noct: Sermo S. Joannis Chrysostomi. Ego maxime, ut in officio nec Virginis, nec Martyris* 2. *loco: reliqua ut in comm. Virg. et Mart. Oratio. Deus; qui inter caetera potentiae tuae miracula. (De mandato Illustriss., et Reverendiss. Episcopi in Missis omnibus facienda est Collecta ad repellendas tempestates, quae incipit). A Domo tua.*

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

S. CLEMENTIS PAPAE, ET MART.

Duplex hac die assign. ab Ordinario ex 23 *hujus. Omnia, ut in Breviario.*

DIE I. DECEMBRIS.

S. MARTINI PAPAE, ET MART.

Semid. hic assign. ab Ordinario 12 *hujus. Omnia, ut in Breviario.*

DIE V. DECEMBRIS.

S. DIDACI CONF.

Semid. hic assign. ab Ordin. ex 13 *Novembr. Omnia, ut in Brev.*

OFFICIUM S. PROCULI LEV. ET MART.

Semel in mense semiduplex. Omnia, ut in die 16 Novembris, exceptis sequentibus. Lectiones 1. Noct. de Scriptura occ.

Ad Vesperas, et ad Laudes.

℣. Ora pro nobis Beate Procule.
℞. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Supplicationem Populi tui Deus miserator exaudi, ut B. Proculi Levitae, et Martyris tui Patrocinio sublevetur, cujus commemoratione laetatur. Per Dominum.

Fit commemoratio S. Januarii, ut in Breviario die 19 Septembris.

OFFICIUM S. JANUARII EPISC. ET MART.

Semel in mense semiduplex. Omnia ut in die 19. Septembris praeter lectiones 1. Noct. quae sunt de Scriptura occ. Fit commemoratio S. Proculi cum ℣. ℞. et Oratione, ut supra semel in mense.

Antiph. Ad I. Vesp.

Beatus Januarius Praesul, et Martyr inclytus extinxit impetum ignis, obturavit ora ferarum, et in occisione gladii pro Christo mortuus, legitimi certaminis coronam accepit.
℣. Gloria, et honore coronasti eum Domine.
℞. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oratio.

Deus, qui per Beati Januarii Martyris tui, atque Pontificis confessionem, et Sanguinem admirabili testimonio, ac triumpho Ecclesiae tuae fidem illustrare dignatus es: quaesumus, ut ejusdem nos fidei consortio, et patrocinio munitos, triumphi etiam, et gloriae participes efficias. Per Dominum.

Antiph. Ad Laudes.

Igne me Domine examinasti, et non est inventa in me iniquitas; propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

℣. Justus, ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio ut supra.

Antiph. Ad II. Vesp.

Liberasti me Domine a rugientibus praeparatis ad escam, et a pressura flammae, quae circumdedit me, et in medio ignis non sum aestuatus.

℣. Justus etc.

℟. Sicut cedrus etc.

Oratio ut supra.

IN SUFFRAGIIS SANCTORUM.

Pro Ss. Proculo, et Januario Mm. Patronis.

Antiph. Ad Laudes.

Vestri capilli capitis omnes numerati sunt, nolite timere; multis passeribus meliores estis vos.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

Antiph. Ad II. Vesp.

Gaudent in Caelis animae Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti, et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.

℣. Exultabunt etc.

℟. Laetabuntur etc.

Oratio.

Majestatem tuam, Domine, supplices exoramus, ut sicut nos jugiter Sanctorum Martyrum tuorum Proculi, et Januarii commemoratione laetificas, ita semper supplicatione defendas. Per Dominum.

Decreta S. R. C. pro recitandis officiis huic nostrae Civitati, et Dioecesi Puteolanae concessis.

1. Officium semiduplex de communi plurimorum Martyrum cum propriis lectionibus secundi Nocturni Sanctorum Onesimi, Erasmi, et Sociorum Martyrum, inter alia Sanctorum officia pro Civitate Leontina, a Sacra Rituum Congregatione approbatum est sub die 15 Martii 1608.

Eadem Sacra Rituum Congregatio ad instantiam Capituli, et Cleri Civitatis Puteolanae, ubi dicti Sancti coronam martyrii susceperunt, etiam approbavit, et concessit, ut in dicta Civitate, et Dioecesi Puteolana ab omnibus Clericis regularibus, et saecularibus libere, et licite recitari possit, et valeat; et ita declaravit die 27 Julii 1609. — *Dominicus Episc. Ostiensis Card. Pinellus.* — Locus ✠ Sigilli. — *Jo: Paulus Mucantius Secretarius Congregationis.*

2. Suprascriptas Lectiones pro Ss. Alexandro, et Proculo Martyribus, Onesimo Martyre, et Episcopo, Patroba, et Celso Episcopis Ecclesiae Puteolanae, de mandato Congregationis S. Ritibus praepositae ab Eminentissimo, et Reverendissimo D. Card. Franciotto revisas, et recognitas eadem Sac. Congreg. quoad Ss. Proculum, et Celsum sub ritu duplici, et quoad alios semiduplici, pro eadem Ecclesia approbavit die 13 Martii 1649. — *A. Card. Capponius.* — Locus ✠ Sigilli. — *Hieronymus Boncompagnus Sac. Rit. Congreg. Secret.*

Puteolana.

3. Non minus enixis, quam humillimis nomine Episcopi Puteolani precibus Sanctissimo Domino Nostro porrectis, quibus supplicatum fuit; ut Festum Sancti Proculi Martyris Protectoris Principalis Civitatis Puteolanae, quod a Sac. Rituum Congregatione die 18 Octobris fuit assignatum, quodque dicta die ob varias Populi occupationes, ea, qua decet observantia minime celebrari valet, ad diem 16. Novembris in posterum transferri benigne concedere dignaretur, illisque a Sanctitate Sua ad Sacram Rituum Congregationem remissis, Sacra eadem Congregatio hujusmodi Oratoris instantiae iuxta petita annuendum esse censuit. Die 10. Decembris 1718. — *I. Cardinalis de Abduo Praefectus.* — Fer. M. Tedeschi Episcopus Liparit. Sac. Rituum Congreg. Secretarius — *Adest Sigillum impressum.*

Puteolana.

4. Cum Capitulum, et Clerus Ecclesiae Cathedralis Puteolanae exposuerint eamdem Ecclesiam consecratam fuisse pridie Kalendas Majas 1630, prout ex marmoreo

lapide, quem in ipsiusmet Ecclesiae pariete positum quisquam conspicit; et cum festum illius Dedicationis ab immemorabili tempore quotannis die septima Julii peragere consueverint ob occurrentiam forsitan festorum Paschalium tunc occurrentium; propterea S. R. Congregationi humillime supplicarunt, quatenus ad sedandam eorum conscientiam praedictam diem septimam Julii pro anniversaria Solemnitate ejusdem Dedicationis in posterum assignare, et confirmare dignaretur. Et S. R. Congregatio audita prius relatione Episcopi Oratorum instantiae juxta petita benigne annuit. Hac die 16 Maii 1744. — *C. Cardinalis de Marinis Praefectus.* — T. Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.

Puteolana.

5. Cum Sacrorum Rituum Congregatio sub die 15 Februarii anni 1727. confirmarit in Patronum minus Principalem Civitatis, et Dioecesis Puteolanae S. Blasium Episcopum, et Martyrem: cumque modo ex parte Reverendissimi Episcopi, Capituli, Cleri, et Gubernatorum Capellae ipsius S. Episcopi, et Martyris praefatae Civitatis, et Dioecesis, iterum pro facultate recitandi Orationem, et Lectiones 2. Noct. proprias, et respective celebrandi Missam propriam ejusdem Sancti, jam pro Basilica Vaticana approbatam humillime supplicatum fuerit. Sac. eadem Congregatio ad relationem Eminentiss. et Reverendiss. D. Cardinalis S. Caesarei Ponentis hujusmodi instantiae benigne inclinata gratiam juxta petita Oratoribus indulsit, atque concessit. Die 14 Aprilis 1753.

D. F. Cardinalis Tamburrinus Praefectus.

Locus ✠ *signi*

M. Marefoschi S. R. C. Secr.

Puteolana.

6. Ad enixas, humilimasque preces Episcopi, Capituli, et Cleri Saecularis, et Regularis Civitatis, et Dioecesis Puteolanae Sacrae Rituum Congregationi porrectas, in eaque per Eminentissimum, et Reverendissimum D. Card. Tanarium relatas Sacra eadem Congregatio ex variis circumstantiis in supplici libello expressis benigne indulsit, ut festum cum Officio proprio, et Missa S. Raphaëlis Archangeli illius Civitatis, et Dioecesis Protectoris minus principalis in posterum a die 24 Octobris ad Dominicam tertiam post Pascha, uti Venetiis ex concessione Apostolica celebratur, transferri possit, et valeat. Hac die 22 Aprilis 1732.

D. F. Card. Tamburrinus Praefectus.

Loco ✠ *Signi.*

M. Marefoschi Secret.

Puteolana.

7. Ex parte Episcopi, Capituli, et Cleri saecularis, et Regularis Civitatis, et Dioecesis Puteolanae Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicatum fuit; quatenus Officium duplex minus, una cum Missa Commemorationis Adventus S. Pauli in Insulam Melevitanam ex concessione Apostolica concessum, et sub die 10 Februarii celebratum, prout descripta in Breviario, et Missali Romano habentur ad Civitatem, et Dioecesim Puteolanam sub ritu duplicis majoris die 30 Maji benigne extendere dignaretur. Sacra eadem Congregatio referente Eminentissimo Domino Cardinali Tamburino ejusdem Sacrae Congregationis Praefecto ex variis concurrentibus causis, ac circumstantiis in supplici libello expressis, et per admodum Rev.

Dom. Januarium de Fraya dictae Cathedralis Canonicum porrectis petitum Officium, et Missam sub ritu duplicis Majoris, addendo tamen ad tertiam lectionem primi nocturni illam particulam, quae incipit—*In locis autem illis*... (ex Actibus Apostolorum extractam) usque *ad venimus Romam;* et substituendo iu Oratione loco illorum verborum — *in hanc Insulam* — haec alia — *in hanc Civitatem* die 30 Maji ab omnibus praedictae Civitatis, qui ad horas Canonicas tenentur recitari, et Missam respective celebrari, ac imprimi posse concessit. Hac die 30 Martii 1752.

D. F. Card. Tamburrinus Praefectus.

Loco ✠ *Signi*

Marius Marefoschi Secr.

Puteolana.

8. Suprascriptam Missam propriam Sancti Celsi Confessoris, et Episcopi Puteolani, nec non Patroni minus principalis dictae Civitatis, ad preces Capituli, Cleri, ac Abbadissae, et Monialium Ordinis S. Clarae ejusdem, per Eminentissimum, et Reverendissimum Dominum Cardinalem Tanarium diligenter revisam, atque examinatam, et in Sacra Rituum Congregatione relatam. Sacra eadem Congregatio audito prius R. P. D. Ludovico de Valentibus fidei Promotore, benigne approbavit, et singulis annis in die festo praedicti S. Celsi a Clero totius Civitatis, ed Dioecesis celebrari, ac imprimi posse concessit. Hac die 26 Augusti 1752.

D. F. Card. Tamburrinus. Praefectus.

Loco ✝ *Signi*

M. Marefoschi Secr.

9. SS. Dominus noster Pius PP. VI. ad humillimas preces Reverendiss. Episcopi Puteolani suprascriptas, Officium, et Missam propriam S. Proculi Diaconi, et Martyris, per Rev. P. D. Philippum Campanelli fidei Promotorem revisa, et ab Eminentiss.: et Reverendiss. Domino Cardinale Marefoschi Praefecto S. R. C., et Ponente relata, prout jacent, benigne adprobavit; Nec non indulsit celebrari in octava Translationis S. Januarii Festum Patrocinii praedicti S. Proculi, uti Socii in Martyrio illius ab universo Clero Saeculari, et Regulari ejusdem Civitatis, et Dioecesis. Die 12. Decembris 1778. — M. Card. Marefoschi Praefectus — C. Airoldi S. R. C. Secretarius.

Pro Regno Utriusque Siciliae.

10. Porrectis SS. D. N. Benedicto Papae XIV piis, enixisque precibus ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Ursino nomine Serenissimi utriusque Siciliae Regis, pro extensione Officii proprii, et Missae in memoriam S. Pulcheriae Virginis Imperatricis, pro Clero Saeculari, et Regulari omnium Dominiorum praefati Serenissimi Regis, Sanctitas sua benigne annuit pro gratia, pro die ab Ordinariis designanda, excepto die Dominico, sub ritu duplicis minoris. S. R. C. die 27. Junii 1753. D. F. Card. Tamburrinus Praefectus S. R. C. — M. Marefoschi S. R. C. Secretarius.

Puteolana.

11. Propriis non minus, quam suae Cathedralis Capituli, universique sibi commissi Cleri votis satisfacturus Reverendissimus Puteolanus Episcopus Sacrorum Rituum Congregationem humillimis adiens precibus ro-

gavit, ut quoniam in integra sua Puteolana Dioecesi speciali cultu veneratur Sanctus Maximus Martyr Cumanus, ejusdem memoria quotannis recoli valeat cum Officio, et Missa jamdiu pro Clero Oppidi Sancti Juliani Dioecesis Aversanae adprobatis. Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Fratres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunati, ad relationem mei infrascripti Secretarii, omnibus rationum momentis maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt. Pro gratia quoad Lectiones secundi Nocturni, et orationes tantum, ut supra pro Clero Oppidi Sancti Juliani adprobavit sub die 16. Julii 1806 ritu duplici minore die propria, scilicet XXX Octobris, ut in Martyrologio — Contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus. Die 12. Septembris 1841. — C. M. Episcopus Praenestinus Cardinalis Pedicinius S. R. E. V. Cancellarius, S. R. C. Praefectus. — I. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Puteolana.

12. Cum per Apostolicas litteras in forma Brevis expeditas concessum fuerit, ut in Dioecesibus Regni utriusque Siciliae Festum Sancti Francisci a Paula Confessoris celebraretur sub ritu duplici secundae classis cum octava Dominica secunda a Paschate Resurrectionis; cumque Dominica isthaec in Dioecesi Puteolana jamdiu praepediatur ob occursum Festi Sanctissimi Redemptoris Jesu, Reverendissimus Episcopus pastoralis sui muneris esse duxit Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium XVI Pontificem Maximum humillimis precibus adire, ac enixe efflagitare, ut Officium Sanctissimi Redemptoris, ut antea assignare dignaretur Dominicae tertiae Julii sub ritu duplicis majoris, ut Dominica secunda post Pascha fieri valeat de Sancto Francisco de Paula sub enunciato ritu duplicis secundae classis, verum absque Octava, ea

potissimum de causa, quia interdum saepe dicta Dominica secunda post Pascha occurrere potest Officium Translationis Sancti Januarii. Hujusmodi precibus per me infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium eidem Sanctissimo Domino fideliter de more relatis, Sanctitas sua benigne annuens, quoad petitam Translationem Officii Sanctissimi Redemptoris ad Dominicam tertiam Julii, edixit, ut iis in annis, in quibus Dominica secunda post Pascha occurrit Festum Translationis Reliquiarum Sancti Januarii juxta sancita pro aliis Dioecesibus ab eadem Sacra Rituum Congregatione, Officium Sancti Francisci de Paula cum omnibus privilegiis in ipsis Apostolicis litteris in forma Brevis expressis transferatur ad aliam subsequentem Dominicam non impeditam, dummodo Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque die 10. Novembris 1843. — Pro Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Pedicinio Praefecto — Gabriel Cardinalis Ferretti.

Puteolana.

13. Solemne festum, quod in honorem Sanctorum Martyrum Proculi, Acutii, et Eutychetis Civium Puteolanorum, ac Sancti Januarii Sociorum cum Officio, et Missa propriis ex hujus Sanctae Sedis Indulto de Anno 1778 pridie Idus Decembris concesso, in Cathedrali Puteolana instituitur Dominica secunda Maji quotannis recurrente, quum interdum praepediatur ob occursum Festorum Mobilium, modernus Reverendissimus Episcopus Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium XVI Pontificem Maximum humillimis precibus rogavit Indultum, ut tali occurrente impedimento illud cum Officio, et Missa sub ritu duplicis secundae Classis amandari valeat ad aliam insequentem Dominicam. Sanctitas sua referente me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, ita annuit benigne, ut hujusmodi in casu Officium cum Missa co-

rumdem Sanctorum Martyrum transferatur juxta Rubricas ad primam insequentem diem liberam: ac Dominica aliqua post secundam Maji a Reverendissimo Episcopo designanda, in ipsorum honorem celebretur unica Missa Solemnis propria, dummodo non occurrat duplex primae Classis, nec omittatur Conventualis de Die, servatisque Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 12. Julii 1844 — Frat. Ludovicus Cardinalis Micara Episc. Ostiens. et Velit. *Sacri Collegii Decanus*, S. Rituum Congreg. Praefectus — I. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Laus Deo, B. M. V. ac Ss. Mn. Proculo, et Januario Patronis Praesentissimis.

APPENDIX CONTINENS

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM PRO ALIQUIBUS LOCIS ADPROBATA, NUPER EX INDULTO APOSTOLICO AD DIOECESIM PUTEOLANAM EXTENSA.

MENSE FEBRUARIO

DIE XXIII. FEBRUARII.

IN FESTO S. PETRI DAMIANI CARDINALIS EPISCOPI OSTIENSIS, ET ECCLES. DOCTORIS.

Duplex minus.

In utrisq. Vesp. Antiph. ad Magn. O Doctor optime.

Oratio.

Concede nos, quaesumus, omnipotens Deus, Beati Petri Confessoris tui, atque Pontificis, monita, et exempla sectari, ut per terrestrium rerum contemptum aeterna gaudia consequamur. Per Dominum nostrum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scriptura occurrente. Si vero celebretur in Quadragesima, leguntur Lectiones Fidelis sermo, etc. *ut in Communi Conf. Pontificum.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV.

Petrus Ravennae honestis Parentibus natus adhuc lactens a Matre numerosae prolis pertaesa abjicitur; sed domesticae mulieris opera semivivus exceptus, ac recreatus, Genitrici ad humaninatis sensum revocatae redditur. Utroque orbatus Parente, tamquam vile mancipium, sub aspera fratris tutela duram servitutem exercuit; Religionis in Deum, ac pietatis erga patrem egregium tunc specimen dedit; inventum siquidem forte nummum non propriae inediae sublevandae, sed Sacerdoti, qui divinum Sacrificium ad illius expiationem offerret, erogavit. A Damiano fratre, a quo, uti fertur, cognomentum accepit, ejus cura litteris eruditur; in quibus brevi tantum profecit, ut magistris admirationi esset. Quum autem liberalibus scientiis floreret, et nomine, eas cum laude docuit. Interim, ut corpus rationi subderet, sub mollibus vestibus cilicium adhibuit, jejuniis, vigiliis, et orationibus solerter insistens. Calente juventa, dum carnis stimulis acriter urgeretur, insultantium libidinum faces rigentibus fluvii mersus aquis noctu extinguebat; tum venerabilia quaeque loca obire, totumque Psalterium recitare consueverat. Ope assidua pauperes levabat, quibus frequenter pastis convivio, propriis ipse manibus ministrabat.

LECTIO V.

Perficiendae magis vitae caussa in Avellanensi Eugubinae Dioecesis Coenobio Ordini Monachorum Sanctae Crucis Fontis Avellanae a Beato Ludulpho Sancti Romualdi Discipulo fundato nomen dedit. Non ita multo post in Monasterium Pomposianum, mox in Coenobium Sancti Vincentii Petrae Pertusae ab Ab-

bate suo missus, utrumque Asceterium verbo sacro, praeclaris institutionibus, et moribus excoluit. Ad suos revocatus post Praesidis obitum Avellanitarum familiae praeficitur; quam novis variis in Locis exstructis domiciliis, et sanctissimis institutis ita auxit, ut alter ejus Ordinis Parens, ac praecipuum ornamentum jure sit habitus. Salutarem Petri sollicitudinem alia quoque diversi instituti Coenobia, Canonicorum conventus, et Populi sunt experti. Urbinati Dioecesi non uno nomine profuit: Theuzoni Episcopo in caussa gravissima assedit, ipsumque in recte administrando Episcopatu consilio, et opera juvit. Divinorum contemplatione, corporis macerationibus, caeterisque spectatae sanctimoniae exemplis excelluit. His motus Stephanus Nonus Pontifex Maximus eum, licet invitum, et reluctantem, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem creavit, et Ostiensem Episcopum. Quas Petrus Dignitates splendidissimis virtutibus, et consentaneis Episcopali ministerio operibus gessit.

LECTIO VI.

Difficillimo tempore Romanae Ecclesiae, Summisque Pontificibus doctrina, Legationibus, aliisque susceptis laboribus mirifice adfuit. Adversus Nicolaitarum, et Simoniacam Haereses ad mortem usque strenue decertavit. Hujusmodi depulsis malis, Mediolanensem Ecclesiae Romanae conciliavit. Benedicto, et Cadolao falsis Pontificibus fortiter restitit. Henricum quartum Germaniae Regem ab iniquo Uxoris divortio deterruit. Ravennates ad debita Romano Pontifici obsequia revocatos sacris restituit. Canonicos Veliternos ad sanctioris vitae leges composuit. In provincia praesertim Urbinate vix ulla fuit Episcopalis Ecclesia, de qua Petrus non sit benemeritus; Eugubinam, quam aliquando creditam habuit, multis levavit incommodis: alias alibi, quando oportuit, perinde curavit, ac si suae essent tutelae commissae. Cardinalatu, et Epi-

scopali Dignitate depositis, nihil de pristina juvandi proximos sedulitate remisit. Jejunium sextae Feriae in honorem S. Crucis Jesu Christi, horarias Beatae Dei Genitricis preces, ejusque die Sabbato cultum propagavit. Inferendae quoque sibi verberationis morem ad patratorum scelerum expiationem provexit. Demum sanctitate, doctrina, miraculis, et praeclare actis illustris, dum e Ravennate Legatione rediret, Faventiae octavo Kalendas Martii migravit ad Christum. Ejus Corpus ibidem apud Cistercienses multis miraculis clarum frequenti Populorum veneratione colitur. Ipsum Faventini non semel in praesenti discrimine propitium experti Patronum apud Deum delegerunt. Leo vero Duodecimus Pontifex Maximus Officium, Missamque in ejus honorem, tamquam Confessoris Pontificis, quae aliquibus in Dioecesibus, atque in Ordine Camaldulensium jam celebrabantur, ex Sacrorum Rituum Congregationis Consulto, addita Doctoris qualitate, ad universam extendit Ecclesiam.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium; Vos estis sal terrae (*de communi Doctorum*).

Officia de Passione D. N. J. C.

1. Fer. III. post. Dom. Septuagesimae — Festum Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti *Duplex majus.*
2. Fer. III. post Dom. Sexag. — Festum Solemnis Commemorationis Dominicae Passionis. *Duplex majus sine octava.*
3. Fer. VI. post Cineres — Festum Sacratissimae Coronae Spinarum D. N. J. C. *Dupl. majus.*
4. Fer. VI. post Domin. I. Quadrages. — Festum Lanceae, et Clavorum D. N. J. C. *Duplex majus.*
5. Fer. VI. post Domin. II. Quadrages. — Festum Sacratissimae Sindonis D. N. J. C. *Duplex majus.*

6. Fer. VI. post Domin. III. Quadrages. — Festum Sacrorum quinque Vulnerum D. N. J. C. *Duplex majus.*

6. Fer. VI. post Dominic. IV. Quadrages. — Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. *Duplex majus.*

Officia omn. propr. in fine nov. Breviar. vel in libello ad instantiam Eminent. Cardinalis Caracciolo edito.

DIE V. MARTII.

IN FESTO

S. JOANNIS JOSEPHI DE CRUCE CONFESSORIS

Duplex minus.

Off. de com. Conf. non Pont. praeter ea, quae seq.

Oratio.

Deus, qui B. Joannem Josephum Confessorem tuum per arduas paupertatis, humilitatis, et patientiae vias caelesti gloria sublimasti: da nobis, quaesumus, ut carne mortificati, ejus imitemur exempla, et gaudiis perfruamur aeternis. Per Dominum nostrum etc.

Lect. I. Noct. de scr. occ. in Quadrag. vero Beatus vir, *de eod. com.* 2. *loc.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Isclae Regni Neapolis in urbe apud Ænariam Insulam, Parentibus nobilitate sanguinis, morumque probitate praestantibus ortus est S. Joannes Josephus de Cruce; a quibus cum Christianae pietatis semina in ejus animam, supernis benedictionibus praeventam, fuerint cum lacte instillata, fructus mox uberrimos adtulerunt,

Tenerrima adhuc aetate, nedum a nugis puerilibus abhorruit, sed virtutes excolere coepit illustriores, silentii potissimum, mortificationis, Mundi, suique ipsius abnegationis, quas assiduo Orationis studio confovebat. Deiparae cultum, quem ad obitum usque in dies auxit, interea temporis arripuit; Dominicaeque Passionis, et Eucharistiae Mysteria adfectu peculiari prosequebatur. S. Petri de Alcantara Institutum, quod Joannes de S. Bernardo ex Hispanis Excalceatis, Clemente IX. adprobante, nuperrime in Italiam invexerat, divino afflante Numine, anno vitae suae sextodecimo amplexus est Italorum primus. Seraphico Patriarcha, fidissimoque ejus Alumno Petro de Alcantara in ipso tyrocinio sibi ad imitandum propositis, mirum quam perfecte poenitentiam hujus, et contemplationem, humilitatem illius, ac paupertatem jam tum fuerit adsecutus. ℟. Honestum etc.

LECTIO V.

Tertio vix decurso a solemni Professione sua anno, Pedemontani Aliphae Coenobii fundationi destinatur; quod ejus opera exiguum adeo evasit, ut alterius, quod olim in Pedroso Extremadurae S. Petrus de Alcantara, Clericus ipse quoque, excitaverat, imaginem simillimam referret. Sacerdotio ex obedientia inauguratus, Disciplinis Moralibus, quas numquam perdidicerat, improviso excultus visus est. Superiorum venia, non longe ab eo Coenobio, Sacram Eremum exstruere adgressus subter excelsi montis dejectu, ut absolveretur quam citissime, ligna, lapides, calcem humeris suis mordaci lorica contectis, exportabat; ita ut per calcanea cruor ubertim in terram deflueret. Fratrum rogatu Leges quasdam pro Sacro illo Recessu peculiares condidit, dignas, quae a Sede Apostolica confirmarentur. Novitiorum regimini praepositus, eorum ad vitam regularem componere mores eo profectu enixus est, ut illorum aliqui Sanctitatis, et mi-

raculorum fama inclaruerint. Verum cum Clemens Papa XI. Saeculi hujus decimi octavi initio Fratres Italos excalceatos ab Hispanis in Regno Neapolis sejunxisset, illique nulla regiminis forma potirentur, ab eodem Pontifice, obsistente licet humani generis hoste, Provinciae Neapolitanae S. Petri de Alcantara nuncupatae, erectionem obtinuit. ℟. Amavit etc.

LECTIO VI.

Primus novae istiusmodi Provinciae Minister renuntiatus, regimen, quod abdicaverat, Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium jussu adsumere coactus, difficile relatu est, quot, qualesque calumnias Dei Famulo devorare opus fuerit, ut Italicam Excalceatorum Fratrum Familiam constabiliret. Rebus compositis, eo sese totum convertit, ut duplex ille Petri de Alcantara Contemplationis, et Poenitentiae Spiritus altas inter suos radices ageret. Quos praeclarissimis virtutum exemplis anteibat; humilitate in primis, rigidaque claustralis Disciplinae custodia, paupertate, et abstinentia enituit admirabili. Unicum ad nudam carnem sexaginta quatuor annis habitum adhibuit; perque viginti quatuor annos, priscorum Eremicolarum ritu, pane tantum, ac fructibus victitavit, quod edulii genus ex obedientia in nauseosum commutavit ferculum. Flagellis asperrimis, ciliciis, et cruce ferrea, acutis instructa claviculis, corpus suum dilaniavit. Illud etiam de Eo fertur, quod creberrimas inter orandum extases passus est, quodque raptibus, prophetia, miraculis, aliisque hujusmodi supernaturalibus donis vivens claruerit. Denique zelo animarum absumptus, octogenarius, apopletico morbo correptus, tertio Nonas Martias in osculo Domini obdormivit in Coenobio S. Luciae Montis Urbis Neapolis anno septingentesimo trigesimo quarto supra millesimum. Eumdem novis miraculis corruscantem anno ab Illius decessu quinquagesimo sexto PIUS VI. P. M. Beatorum albo recensuit, et

Gregorius Papa XVI anno millesimo octingentesimo trigesimo nono solemni ritu Dominica SS. Trinitatis in Canonem Sanctorum retulit.

℟. Iste Homo etc.

Lect. III. Noct.

Hom. in Evang. Nolite timere, etc. *ut in eod. Comm. 2 loc.*

MENSE APRILI

Dominica secunda post Pascha, vel alia ex sequentibus non impedita festo majoris ritus, ac dignitatis

IN FESTO

S. FRANCISCI DE PAULA CONF. COMPATRONI PRINCIPALIS REGNI UTRIUSQUE SICILIÆ.

Dupl. 2 Class. cum Octava

Ad Hymn. *Mer. supr.* Lect. 1. Noct. *Beatus Vir*, ut in comm. 2. loc. et caetera, ut in Brev. die 2. Aprilis.

SECUNDA DIE INFRA OCT.

Lect. 1. noct. de script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Tres lectiones S. Joann. Chrysost. Beati N. dies, etc. *ut in Breviar. de comm. Conf. non Pont. 1 loc.*

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. cap. 12.

LECTIO VII.

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia sancti Fulgentii Episcopi.
Ex Sermone de Confessoribus.

Si non omnes possunt implere, quod Dominus ait: Vendite, quae possidetis; illud tamen, quod adjecit, dicens : Date eleemosynam, omnibus est possibile, si adsit bona voluntas; omnibus facile, si non adsit dira cupiditas : omnibus salubre, si ferveat caritas; cunctis debet esse commune, ut omnibus donetur aeterna felicitas. Qui ergo tantam virtutem accepit a Domino, ut omnia, quae in mundo sunt, caelestis regni amore contemnat, quae habet, vendat, et egenis expendat : qui vero tantae virtutis nondum est, de his quae habet, in quantum habet, eleemosynam faciat.

LECTIO VIII.

Perfectus possideat primum virtutis locum, imperfectus saltem perveniat ad secundum. Efficiatur ille gloriose dignus, sit iste laudabiliter largus. Sit ille sanctae paupertatis ardentissimus amator, sit iste sanctorum pauperum piissimus consolator. Habeat iste apud Deum patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes. Sit ille talis, qui cum Domino judicaturus sedeat. Sit iste talis, qui ad dexteram judicandus assistat. Sit ille talis, qui aeterna tabernacula perpetuo jure possideat. Sit iste talis, quem ille recipiat.

LECTIO IX.

Thesaurum nostrum, fratres, in Caelis ponamus, ut etiam cor nostrum in Caelis habere possimus. Ne-

cesse est enim, ut quo praecesserit dilectionis thesaurus, illuc etiam cogitationis sequatur affectus. Ideo Veritas ait: Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. Ut ergo in Caelis thesaurizemus, Caelestia diligamus. Vis nosse, ubi thesaurizas? attende, quid amas. Vis nosse, quid amas? attende, quid cogitas. Ita fiet, ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, et amorem tuum judicio tuae cogitationis intelligas.

TERTIA DIE INFRA OCT.

Lect. I. *noct. de script. occ.*

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Joannis Chrysostomi.
De S. Philogonio, ante medium.

LECTIO IV.

Ad hanc beatam requiem transiit beatus Franciscus. Quaenam igitur oratio par sit viri laudibus, quem Deus tam felici sorte dignatus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi, num idcirco silebimus? et cujus rei gratia convenimus? An dicemus non haud posse magnitudinem gestorum oratione consequi? Atqui ob hoc ipsum necesse est dicere, quandoquidem haec est praecipua laudum illius pars, quod factis verba aequiparari non possint. Nam quorum benefacta naturam etiam superant mortalem, perspicuum est, quod horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, quod pro viribus praestamus, sed suum imitabitur Dominum: siquidem et ille viduae duos tantum obolos dejicienti in gazophylacium, non tantum duorum obolorum mercedem, sed multo amplius reddidit.

LECTIO V.

Proinde quamvis nostrae facultates exiguae sint, minimique pretii, attamen, quae possumus, offerimus. Ea licet non respondeant magnitudini meritorum animae praeclari, justique Francisci, tamen hoc ipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumentum, quod nec pusilla repellat, sed idem faciat, quod solent divites. Siquidem illi, cum acceperint a tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponunt, remunerantes eos, qui, quod poterant, obtulerint. Itidem et hic, cum acceperit a nobis laudem verbis peractam, qua nequaquam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, qua semper uti possimus.

LECTIO VI.

Unde igitur laudationem illius auspicabimur? An a magistratu, quem spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani Magistratus nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes, quin potius frequenter habent accusationem malitiae. Quam ob causam? quoniam et solicitudines amicorum, et circumcursationes, et adulationes, aliaque permulta his foediora tales Magistratus solent conciliare. Caeterum ubi Deus suo suffragio designarit aliquem, incorruptum suffragium, alienum ab omni suspicione judicium, indubitata fuerit delecti comprobatio, propter ejus, qui delegit, auctoritatem.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.
cap. 12.

LECTIO VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia sancti Petri Chrysologi.
Ex sermone 22.

Praemia statuuntur iis semper, quibus certamina dura proponuntur: ac pro magnitudine certaminis praemii proponitur magnitudo. Hinc est, quod discipulis suis Christus regnum ponit in praemio, ut in certamine non cedant periculis, non timori. Pericula despicit, qui tendit ad regnum: victoriae cupidus nescit timere. Nolite timere, inquit, pusillus grex: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Grex pusillus mundo, magnus Deo: pusillus, quia gloriosos vocat eos, quos instituit ad ovium innocentiam, et mansuetudinem Christianam.

LECTIO VIII.

Adjecit, quid faciendum sit regnaturis: Vendite, quae possidetis. Non potest dominari omnibus, nisi is, qui propriis non tenetur. Dejectae mentis est, qui familiaris rei meminit, cum vocatur ad regnum; jacens animus plebejus nummulum thesauris regalibus anteponit. Pauper sensus parvis incubans, perdit magna; et inhians temporalibus, deserit sempiterna. Homo, tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare: manere tibi tua voluit, non perire: perpetuari, non vacuari sacculos imperavit: jussit te transferre, non perdere.

LECTIO IX.

Plus consilio patris agit, quam jure dominantis. Inter insidias latronum, et tinearum morsus quare tua recondas, objurgat: pervigiles noctes, dies anxios, solicita tempora ne tibi ipse facias, commoneris. Auri custos, servator argenti, securitatem non habet, nescit quietem; et cui deest securitas, quies perit; poena dives est ille, non censu. Thesaurum non de-

ficientem in Caelo : hoc est dicere, ubi ego sum, ibi ponite : date mihi, ego servo. Homo, da Patri, crede Deo : quia et haeredi Pater, et Deus homini creditum non negabit : tenere tua non potest, quia sua dedit.

QUARTA DIE INFRA OCT.

Lect. 1. *noct. de script. occ.*

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Joannis Chrysostomi.
Unde supra paulo post.

LECTIO IV.

Quantum autem sit pietatis argumentum, quod Deus illum tanto magistratu dignum judicarit, audi. Christus excitatus a morte, quid dicit Petro? Postquam enim illum interrogasset, Petre amas me? isque respondisset, Tu Domine scis, quod amo te; dicit illi: Si diligis me, pasce oves meas. Hoc autem dicebat, non solum ut nobis certissime declararet, quantopere ipsum diligeret Petrus : verum etiam, ut palam faceret, quantam haberet benevolentiam erga suas oves. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quaerat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat.

LECTIO V.

Nullum enim officium hoc Deo carius est, et ob id alicubi dicit : Simon, Simon, expetivit te Satanas, ut cribraret te, tamquam triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quid igitur hujus solicitudinis, curaeque praemium mihi rependis? camdem curam, quam nobis impendit, reposcit. Nam et tu, in-

quit, aliquando conversus confirma fratres tuos. Neque prorsus alia res est', quae perinde declaret, doceatque, quis sit fidelis, et amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat solicitudinem.

LECTIO VI.

Haec omnes audiant et monachi, qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus seipsos mundo crucifixerunt, quo pro viribus Ecclesiarum praefectos adjuvent, horumque curas leniant precibus, concordia, caritate, scientes, quod, nisi modis omnibus opitulentur iis, qui tot periculis objiciuntur, per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus, auxilientur, quamquam procul habitantes, et victus sors ipsis periisset, et tota in scopulum impegisset sapientia.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.
cap. 12.

LECTIO VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.
Ex Sermone 23.

Audistis hodie, quemadmodum Dominus pastorali jubilo clangorem tubae Caelestis adjunxit, ut diu inclinatas ovium mentes ad divina tolleret, Caeleste protinus promoveret ad regnum. Acquisivit humilitas, superbia quod amisit: et grex pusillus, ac mitis totas,

et varias edomuit propria mansuetudine feritates; pusillus grex vicit, ac fregit tot genera bestiarum, quot diversitates subdidit jugo Christi nationum.

LECTIO VIII.

Grex pusillus, ac mitis diu contentus occidi, diu devorari passus est, donec gentilis saevitia sanguine satiata, vel carnibus, Evangelici pabuli suavitatem, et divini fontis fluenta degustans, totum contagium saeculi evitaret, et pastum: atque in hominem rediret ex bestia, qui ex homine fuerat dilapsus in bestiam. Hoc sensisse ante Prophetas, hoc Apostolos implesse, hoc pertulisse Martyres constat, attestante illo, qui dicit: Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus, ut oves occisionis. Ut vero iste grex novi ordinis aggrederetur praelium, ubi vivit ille, qui fuit occisus; imitatus est suum Regem, illum secutus est Agnum, qui sicut ovis ad occisionem ductus est.

LECTIO IX.

Tibi ergo Rex, tibi Sacerdos, tibi pastor, tibi sacrificium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum factus est, qui fecerat totum. Et qui sibi numquam, tibi toties immutatur, propter te varias monstratur in formas, qui manet unica suae majestatis in forma. Et quid plura? dat se tibi Deus, homo, ut ferre potes: quia ut est, tu non potes sustinere.

QUINTA DIE INFRA OCT.

Lect. 1. noct. de script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Tres Lect. S. Gregorii. Deridetur justi simplicitas, *etc. ut in Brev. in hoc eodem Communi* 2. *loc.*

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.
cap. 12.

LECTIO VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia sancti Petri Chrysologi.
Unde supra.

Sed audiamus jam, quid pusillo gregi talis promiserit pastor. Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. O bonitas effusa! o inaudita pietas! o ineffabilis affectio! In societate census pastor oves assumit, atque ad consortium dominationis servos Dominus adsciscit: ad principatum regni Rex gregem populi totius admittit. Sic sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, vacuari potestas non potest largiendo.

LECTIO VIII.

Ecce qui dat, dare loquitur Patrem. Numquid largitatem suam denegat, sic dicendo? Absit; non potestatem minuit, sed pandit affectum, sic dicendo: non distantiam facit, sed Patris, suamque voluntatem monstrat, firmat unitatem. Quod autem dixit, Complacuit; et non dixit, placuit; munus edocet Trinitatis: quia quod erga nos Filio placuit, hoc complacuit Trinitati.

LECTIO IX.

Post tantam ergo Dominus largitatem, post suam gratiam tibi copiosius collatam, abjecta, et vilia pe-

culia servitutis jubet abjicere regnaturum. Vendite, quae possidetis, et date eleemosynam. Plebejum cultum regia non admittit potestas, augustus honor nonnisi diademate confertur, et purpura. Abjicere ergo debet habitum servitutis, qui se regem credit divinitus consecratum. Est consuetudinis, est animi felicis, ut adscitus ad regnum, quod fuit proprium, quod privatum, mox parentibus, mox propinquis, civibus indigentibus, liberaliter prorogare, ne sit mendicus animo, qui censu functus, et honore.

SEXTA DIE INFRA OCT.

Lect. 1. *noct. de script. occ.*

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Moralium sancti Gregorii Papae.
Lib. 10. c. 16. in cap. 12. Job.

LECTIO IV.

Bene justi simplicitas, et lampas esse dicitur, et contempta lampas, quia interius lucet; et contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma caritatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lucet ergo, et despicitur, qui flagrans virtutibus, abjectus aestimatur. Sed usquequo lampas ista contemnitur? usquequo despicabilis habetur? numquid non fulgorem suum nullatenus exerit, et numquam quanta claritate candeat, ostendit? Ostendit plane, nam protinus additur: Parata ad tempus statutum. Statutum quippe contemptae lampadis tempus, est extremi judicii praedestinatus dies, quo justus quisque, qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur.

LECTIO V.

Tunc enim cum Deo judices veniunt, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Tunc eorum lux tanto latius emicat, quanto eos nunc manus persequentium durius angustat. Tunc reproborum oculis patescet, quod Caelesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia sponte reliquerunt. Unde electis Veritas dicit: Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel. Neque enim plusquam duodecim judices illa interni consessus curia non habebit, sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur: quia quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judiciariae potestatis obtinebit.

LECTIO VI.

Hinc est enim, quod de sanctae Ecclesiae sponso per Salomonem dicitur: Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terrae. Hinc Isaias ait: Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui. Hinc eosdem seniores Veritas non jam famulos, sed amicos denuntiat, dicens: Non jam dicam vos servos, sed amicos meos. Quos Psalmista intuens, ait: Mibi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Quorum dum celsitudinem cordis aspiceret, mundi gloriam qua calce calcarent, protinus addidit: Nimis confortatus est principatus eorum. Ac ne paucos esse crederemus, quos proficere usque ad summam tantae perfectionis agnoscimus, illico adjunxit: Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur. Quot itaque nunc pro amore veritatis sese libenter humiliant, tot nunc in judicio lampades coruscant.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.
cap. 12.

LECTIO VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia sancti Petri Chrysologi.
Unde supra.

Tali ergo providentia Dominus, consilio tali, vilia, et caduca jubet, ut vendamus, ut largiamur, ut donemus, qui in Caelesti regno omnia, quae in Caelo, et quae in terra sunt, volumus possidere. Sed si vis servare tuorum pretia praediorum, et sacculorum forte condita te delectant; fac tibi sacculos, quales ille praecepit, qui jam cupiditatis tuae custos est, et provisor. Denique ut vidit quod duriter dixit. Vendite quae possidetis; mox adjecit: Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in Caelis.

LECTIO VIII.

Iterum contristatus es: quia quod habes, in Caelis cogeris collocare. Rogo, crede Deo tuo, qui servo credis: magis Deo, quam homini commenda. Sed si times, ne quid inde praesumat, ne quid dispergat pietas largitoris, signa fidei annulo sacculos tuos, ut tali custode dormias tu securus: quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi. Non poterit tibi tuam pecuniam denegare, qui tibi omnia sua contulit, qui et regni sui et honore ditavit, et gloria.

Ex Sermone 25. circa fin.

LECTIO IX.

Novo modo, imo caelesti modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recondit erogando: dum amittit, acquirit. Quam cupit pecuniam perdurare, perpetuare sacculos divitiarum, condita permanere, qui dicit: Facite vobis sacculos, qui non veterascunt? Ecce docet avaritiam, qui coeperat suadere comtemptum. Et qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem jubet sacculos sine fine perquiri. Christe, quo te pertrahit amor tuorum! Ut avarum lucrifacias, facis eum, quod desiderat, non quod oportet audire: sacculos imperas, ut avarus, dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut a virtute capiatur.

SEPTIMA DIE INFRA OCT.

Lect. 1. noct. de script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.
Serm. 1. de S. Victore.

LECTIO IV.

Sancti Francisci vita, et gloria specialis non tam ad gloriam, quam ad virtutem provocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti plane, sed perversi est animi ante quaerere gloriam, quam exercere virtutem; et velle coronari, qui legitime non certaverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem surgere. Ita est: frustra ad celsitudinem nititur gloriae, qui prius non claruit virtute. Frustra fatuae virgines sponso ob-

viam surgunt, quarum lampades extinguuntur: et ideo fatuae, quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes.

LECTIO V.

Virtus gradus ad gloriam: virtus mater gloriae est. Fallax gloria, et vana est pulchritudo, quam illa non parturivit. Sola est, cui gloria jure debetur, et secure impenditur. Sancto Francisco nec virtus, nec gloria deest: sed quemadmodum ambae res, et quo ordine in homine processerunt, id operae pretium intueri. Habemus enim, dilectissimi, in vita Francisci et quod digne miremur, et quod salubriter imitemur. Tutius sane aemulanda solidiora, quam sublimiora, et quae magis virtutem redoleant, gloriam minus. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus similari, etsi volumus, non valemus.

LECTIO VI.

Æmulemur in viro sobrium victum, devotum affectum; aemulemur mansuetudinem spiritus, castimoniam corporis, oris custodiam, animi puritatem, ponere fraenum irae, et modum linguae, dormire parcius, orare frequentius, commonere nosmetipsos psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, diebus jungere noctes, et divinis laudibus occupare: aemulemur charismata meliora. Æmulemur, inquam, quod extitit liberalis in pauperes, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his forma est, cui imprimamur: in miraculis gloria, a qua reprimamur. Illa laetificent, ista aedificent: moveant illa, ista promoveant.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.
cap. 12.

LECTIO VII.

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Nolite timere pusillus grex , quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.
Post supradicta.

Vere Pater , o Christe , qui cum tuis quibuscumque parvulis sic agis. Namque et nos interdum nostris parvulis parentibus noxia , ingerimus salutaria sub specie noxiorum , fallentes insipientiam; non decipientes affectum. Dixisti, Facite vobis sacculos, qui non veterascunt? Sacculus cur paratur? quid sub claustra , ubi ipsa custos est innocentia ? ibi quid signaculum , ubi fraudis suspicio non habetur ? si et in Caelo sacculis opus est, cura non amittitur, sed mutatur.

LECTIO VIII.

Domine , tu vidisti , quia in thesauris tota fides , tota spes in sacculis sit avaris ; et ideo imputribiles in Caelo sacculos vis parari ; ut qui te non sequitur ad Caelum , sequatur saltem sacculos suos. Avare , fac tibi sacculos , et fac jubente Deo, quia votis suis annuit divina majestas. Sed fac tibi sacculos erogando: quia quidquid pauper acceperit , Pater Caelestis suscipit. Et ubi recondit? In Caelo. Et ne forte perdidisse te doleas , vel usuram centuplum in caelesti foenori recipies , quidquid in Caelum paupere transmiseris perferente.

LECTIO IX.

Usura mundi centum ad unum, Deus unum accepit ad centum , et tamen homines cum Deo nolunt

habere contractum. Sunt forsitan de cautione soliciti. Quare? nonne homo homini exiguae chartulae obligatione constringitur? Deus tot, et tantis voluminibus cavet, et debitor non tenetur? Sed dicis: Esto quod debeat: quo exigente restituet? Se ipso; quia non potest ille mentiri: idem ipse est te executor, et debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo. Crede, homo, Deo, quod tibi Deus dedit: majora reddere vult, cum vult debere largitor.

IN DIE OCTAVA.

Lect. 1. noct. de script. occ.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.
Serm. 2. de S. Victore.

LECTIO IV.

Gaudete in Domino, dilectissimi, qui inter continua suae pietatis beneficia indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exemplo. Iterum dico gaudete, quod factus de medio appropiavit Deo, ut multo plures ejus intercessione salventur. In terris visus est, ut esset exemplo: in Caelum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat et supplicantis affectum, et supplicationis fructum. Quid enim quaerat sibi, qui nullius eget?

LECTIO V.

Haec dies gloriosae migrationis ejus, dies laetitiae cordis ejus: exultemus, et laetemur in ea. Introivit

in potentias Domini, gaudeamus: quia nunc potentior est ad salvandum. Hodie Franciscus, posito corpore, tanto alacrior, quanto expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum. Hodie despecto mundo, et mundi principe triumphato, supra mundum victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriae. Ascendit autem cum immensa supellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis gloriosus. Sedet veteranus miles, debita jam suavitate, et securitate quietus: securus quidem sibi, sed nostri solicitus. O venerandam etiam ipsis Angelis sanctitatem, quam pari studio, etsi dispari voluntate, et mali fugitant, et frequentant boni. Nec facile dixerim, quid virum astruat sanctiorem, horum favor, aut pavor illorum.

LECTIO VI.

O Miles emerite, qui Christianae militiae duris laboribus Angelicae felicitatis requiem commutasti: respice ad imbelles, et imbecilles commilitones tuos, qui inter hostiles gladios, et spirituales nequitias tuis laudibus occupamur. Quam pium, quam dulce, quam suave, o Francisce, in hoc loco afflictionis, et in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum, et memoriale tuum, favus distillans in labiis captivorum, mel, et lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eja ergo fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exurge in adjutorium nobis; ut et nos de nostra ereptione gaudeamus, et tu de plena victoria glorieris.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.
cap. 12.

LECTIO VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite

timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.
Ex Serm. 25. initio.

Hodie dominus Evangelici gregis pusilla, et tenera primordia quam blanda exhortatione sit consolatus, audistis. Aufert spes anxias, dubios tollit eventus, omnemque propellit, et excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur. Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebejo censu, et vernalis cespitis vilitate suspirat; de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi invidet, qui elevatus ad summa, ipse se ad humilia dejicit, ad egena deponit.

LECTIO VIII.

Sed scire convenit, Pater iste quis est, vel qualis est, vel quod regnum suis filiis repromittit. Quis sit ille Pater, quotidie te confitente cognoscis, cum clamas: Pater noster, qui es in Caelis. Qualis autem sit, ipsa operum magnitudine pervidisti. Ex nihilo fecit Caelum, terram solidavit ex liquido, montes statuit ad stateram, maria intra legitimos terminos sola praecepti auctoritate conclusit. Verum si regni, quod promittit pusillis, desideras nosse qualitatem, ipse aperit, sic dicendo: Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum Caelorum. Esse in Caelo mirum est: in Caelo vivere est majestatis.

LECTIO IX.

Quid ergo cum terra illi, qui possidet Caelum? quid illi cum humanis, qui adeptus est jam divina? Nisi forte placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, et illata mala bo-

nis sunt gratiora collatis. Sed videamus, quod dat Pater tantus consilium regnaturis : Vendite, quae possidetis, et date eleemosynam. Si victuros vos, si regnaturos, si vos jam divites esse creditis in supernis, ubi futuri, quo migraturi, ubi regnaturi estis: vos illa, quae vestra sunt, jam praecedant: opes miseras misericordia computate : quae humana sunt, in divina convertite.

DIE XXIV. APRILIS.

IN FESTO

S. BONI LATRONIS.

Duplex.

AD VESPERAS.

Ant. Latro Christum crucifixum, *cum reliquis de Laudibus.*

Psal. Dixit Dominus, *cum reliquis de Domin. loco ultimi Psal.* Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum.
Isai 59.

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat : neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.

HYMNUS.

Jesu corona celsior,
Et veritas sublimior,
Qui confitenti servulo
Reddis perenne praemium.
Da supplicanti coetui,
Hujus rogatu noxii
Remissionem criminis,
Rumpendo nexum vinculi.

Anni reverso tempore,
Dies refulsit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Migravil inter sidera.
Ut sis perenne mentibus
Paschale, Jesu, gaudium,
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, alleluja.
℟. Stolam gloriae induit eum, alleluja.

Ad Magnificat. Antiphona.

Ait Latro ad Latronem : Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum, alleluja, alleluja.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui justificas impios, te supplices exoramus, ut nos benigno intuitu, quo Unigenitus tuus beatum traxit Latronem, ad dignam poenitentiam provoces; et illam, quam ei promisit, tribuas nobis gloriam sempiternam. Qui tecum vivit.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Christum Regem crucifixum, qui Latroni in cruce Paradisum donat. * Venite adoremus, alleluja.
Psalmus. Venite exultemus.
Hymn. Jesu corona celsior, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, et exauditus est de monte sancto ejus, allel.

Extra temp. Pasch. antiph. omnes de comm. Conf. non Pontif.

Psalm. Beatus vir, qui non abiit.
Quare fremuerunt gentes.
Domine, quid multiplicati sunt.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum allel.
℟. Stolam gloriae induit eum, allel.

Lectiones dicuntur de Script. occur.

℟. 1. Posui adjutorium super potentem: * Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum, alleluja.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei — Manus enim.

℟. 2. Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia, et exoravit Altissimum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluja.

℟. Iste inventus est in numero Sanctorum — Ipse intercedat.

℟. 3. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas Paradisi coronavit eum, alleluja.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum — Et ad portas Paradisi.

Gloria Patri — Et ad portas Paradisi.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Invocantem exaudivit Dominus sanctum suum: Dominus exaudivit eum in pace, alleluja.

Psalm. Cum invocarem.
Verba mea auribus.
Domine Dominus noster.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum; alleluja.
℟. Et ad portas Paradisi coronavit eum, allel.

LECTIO IV.

Sermo Sancti Joannis Chrysost.
Omil. 2. de Cruce, et Latrone t. 3.

Scio, et ante me dixisse de Latrone, sed habet diversas intelligentias Dei sermo. Iste Latro de ligno mercatur salutem: hic latro furatur Caeleste imperium. Vim facit majestati, non virtute propria, sed fide vincens. Ipsius Domini vox est: Regnum Caelorum vim patitur, et violenti diripiunt illud. In cruce duo latrones imago Judaeorum, et Gentilium; Latro qui poenitet, imaginem obtinet populi ex Gentibus congregati, qui prius in errore ambulaverat, et post hoc veritatem agnovit. Imaginem vero Latro ille obtinet Judaeorum, qui usque ad finem perseverat Latro. Et usque ad tempus quidem crucis viam malignitatis ierunt; crux autem divisit utrumque.

℟. Velum templi scissum est, * Et omnis terra tremuit: Latro clamabat de Cruce, dicens: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum alleluja.

℣. Petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt — Et omnis.

LECTIO V.

Viam namque caecitatis, et perditionis, qui non credidit, ingressus est: viam autem salutis, qui credidit, ingressus est: viam salutis, qui credidit, adeptus est. In cruce didicit Latro differentiam viarum, quoniam novit Dominus viam justorum; via autem impiorum peribit. Et vide Dei justum judicium, ut dicas et tu cum Propheta. Justus es Dominus, et rectum judicium tuum. Propter unum peccatum damnatur Adam, et propter unam fidei vocem Latro salvatur. Unum peccatum ejecit illum, et una justitia in-

troduxit istum ; et Latro habitator factus est Paradisi. O admiranda rerum materies! Nec Abrahae data est per vocem promissio Paradisi. Haereditatur quidem per fidem ; repromissionem autem Paradisi nemo ante Latronem accepit.

℟. Nemo repromissionem Paradisi ante Latronem accepit, cui Dominus in cruce dixit : * Hodie mecum eris in Paradiso, alleluja, alleluja.

℣. Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum — Hodie.

LECTIO VI.

Iste ergo vidit Salvatorem, non super throno regali, non adorari in templo, non loquentem de Caelis, non per Angelos disponentem; sed in poena sociatum Latroni : videt in tormentis, et tamquam in gloria adorat: videt in cruce, et rogat, quasi in Caelis sedentem : videt condemnatum, et Regem invocat, dicens : Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum : Crucifixum vides, et Regem praedicas? In ligno pendere cernis, et Caelorum regna meditaris? O admiranda Latronis conversio!

℣. O admiranda Latronis conversio! * Crucifixum videt, et Regem praedicat, alleluja.

℟. In ligno pendente cernit, et Caelorum regna meditatur — Crucifixum — Gloria — Crucifixum.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo, allel.

Psalm. Domine, quis habitabit.

Domine in virtute tua.

Domine est terra.

℣. Hic accipiet benedictionem a Domino, allel.

℟. Et misericordiam a Deo salutari suo, allel.

LECTIO VII.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.
Cap. 23 f.

In illo tempore; unus de his, qui pendebant Latronibus, blasphemabat Dominum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi.
Serm. 49 de S. Latrone.

Quoniam hodie Evangelii Lectio de Latrone fecit mentionem, videamus, quis iste Latro sit, qui in Cruce Domino constituto, non solum peccatorum suorum veniam consequitur, sed etiam Paradisi amoenitate donatur: ut qui propter scelera damnatus fuerat ad poenam, propter fidem transferretur ad gloriam: fueritque illi crux, quam pertulit, non tam supplicii damnatio, quam salutis occasio. In cruce enim positus, in Christum Dominum nostrum credit crucifixum. Et ideo qui consortio passionis utitur, consortio Paradisi condonatur. Beatus enim Latro, dum supplicium patitur, regnum Caeleste consequitur. Ecce reus dicitur, sicut qui damnari illud tempus expectavit. Non enim perveniret ad gloriam, si non contraditus esset ad poenam. Videamus, inquam, cur tantorum criminum reus, tam cito a Salvatore Paradisum promeretur, cum alii multorum temporum lacrymis, frequentibusque jejuniis, vix delictorum suorum veniam consequantur.

℟. Iste est beatus Latro, qui in cruce positus, Christum Dominum nostrum credidit crucifixum: * Et dum supplicium patitur, regnum Caeleste consequitur, alleluja.

℣. Quem Judas Iscariotes in hortulo Paradisi distraxerat, iste in patibulo confitetur — Et dum.

LECTIO VIII.

Magna, fratres, et multiplex causa est. Primum, quod iste Latro devotione fidei tam repente mutatus est, ut praesentem poenam despiceret, ac de futura veniam precaretur; et magis crederet utile sibi esse, de aeterno judicio petere, quam de temporali supplicio postulare. Reminiscens enim scelerum suorum, et poenitudinem gerens, plus incipit dolere, quod sperat, quam sentire, quod patitur. Potuit enim, nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de praesenti magis supplicio deprecari. Deinde illud ad gratiam ejus majoris est meriti, quod in Christum in cruce positum credidit, et passio, quae aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit. Crucis enim passio multis scandalum fuit, sicut dicit Apostolus: Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Recte ergo meretur Paradisum, qui crucem Christi non putavit esse scandalum, sed virtutem: dicit enim idem Apostolus: Ipsis autem vocatis Judaeis, atque Graecis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.

℟. Iste est, qui crucem Christi non putavit esse scandalum, sed virtutem; ideoque paradisum meretur: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluja.

℣. Iste est, qui honorificat patientem, quem Judas prodidit osculantem — Ipse intercedat — Gloria Patri — Ipse intercedat.

LECTIO IX.

Recte plane, et Dominus huic donat Paradisum, quia quem Judas Iscariotes in hortulo Paradisi distraxerat, hic in crucis patibulo confitetur. Mira res! Confitetur Latro, quem discipulus abnegavit. Mira, inquam, res! Latro honorificat Patientem, quem Ju-

das prodidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera praedicantur. Ait enim: Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Haec est fidei plena devotio, ut cum de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, de potestate ejus venia postuletur. Cum videtur ejus humilitas, tunc magis timeatur ejus divinitas; cum morti addictus putatur, tunc regis illi honorificentia deferatur. Iste enim fidelis Latro non credidit moriturum, quem annuntiat regnaturum: non putat subdendum inferis; quem dominaturum confitetur in Caelo: non arbitratur eum apud tartarum detineri, a quo se etiam postulat liberari. Cernat licet ejus hiantia vulnera, spectet ipsius sanguinem profluentem; Deum tamen credit, quem reum nescit: justum fatetur, quem non meminit peccatorem.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas. Antiph.

Latro Christum crucifixum videbat, et Regem invocabat, dicens: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum, alleluja.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq.*

Ant. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, alleluja.

Antiph. Cum conturbata fuerit anima mea, Domine, misericordiae memor eris, alleluja, alleluja.

Ant. Salvum me fecit Christus Redemptor; quia dixit: Hodie mecum eris in Paradiso, alleluja, alleluja, alleluja.

Antiph. Ille, qui talis ad Crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gratia, alleluja, alleluja, alleluja.

Capitulum.
Isai. 59.

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut sal-

vare nequeat: neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.

HYMNUS.

Jesu Redemptor omnium,
Corona confitentium,
In hac die clementius
Indulgeas precantibus.
Tui sacri qua nominis
Confessus almus claruit:
Hujus celebrat annua
Devota plebs solemnia.
Hujus benignus annue
Confessionem nos sequi:
Hujus precatu servulis
Dimitte noxam criminis.
Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium;
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclyto,
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Vitam petiit a te, et tribuisti ei Domine, alleluja.

℟. Gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum, alleluja.

Ad Benedictus Antiphona.

Ait latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum, alleluja, alleluja.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui justificas impios; te supplices exoramus, ut nos benigno intuitu, quo Unigenitus tuus beatum traxit Latronem ad dignam poenitentiam provoces; et illam, quam ei promisit, tribuas nobis gloriam sempiternam. Qui tecum vivit, et regnat.

Ad Tertiam.

Antiph. Qui me confessus.

Capitulum. Ecce non est abbreviata, *ut supr.*

℟. *br.* Amavit eum Dominus, et ornavit eum *, alleluja, alleluja — Amavit.

℣. Stolam gloriae induit eum. Alleluja, alleluja — Gloria Patri — Amavit.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum, alleluja.

℟. Et ad portas Paradisi coronavit eum, alleluja.

Ad Sextam.

Antiph. Cum conturbata fuerit.

Capitulum.
Isai. 58. c.

Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum.

℟. *br.* Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum, * Alleluja, alleluja — Induit eum.

℣. Et ad portas Paradisi coronavit eum — Alleluja, alleluja — Gloria Patri — Induit eum Dominus.

℣. Hic accipiet benedictionem a Domino, alleluja.

℟. Et misericordiam a Deo salutari suo, alleluja.

Ad Nonam.

Antiph. Ille, qui talis.

Capitulum.
Isai. 38. d.

Tu autem Domine eruisti animam meam, ut non periret: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

℟. *br.* Hic accipiet benedictionem a Domino, * Alleluja, alleluja — Hic accipiet.

℣. Et misericordiam a Deo salutari suo. Alleluja, alleluja — Gloria Patri — Hic accipiet.

℣. Vitam petiit a te, et tribuisti ei Domine, alleluja.

℣. Gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum, alleluja,

Vesperae de Sancto Marco Evangelista, cum commemoratione Sancti Boni Latronis.

Quod si contingat Festum Sancti Marci alia die celebrari, in secundis Vesperis Sancti Boni Latronis omnia dicuntur, ut in primis.

Ad Magnificat. Antiph.

Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua, alleluja, allel.

DIE XXVI. APRILIS.

IN FESTO

APPARITIONIS SACRAE IMAGINIS B. M. V. DE BONO CONSILIO.

Dupl. majus. Omnia, ut in fine Brev. vel in prop. libell.

DIE XXVII. APRILIS.

S. FIDELIS A SIGMARINGA MART.

Omnia, ut in Brev. die 24. hujus. Duplex.

DIE XXVIII. APRILIS.

Ss. CLETI, ET MARCELLINI Pp. ET MART.

Semid. Omnia, ut in Brev. die 26. hujus.

MENSE MAJO

DIE X. MAJI.

S. ANTONINI EPISC. ET CONF.

Duplex ex decr. S. R. C. 23 August. 1844.
Omnia, ut in corp. Brev.

DIE XI. MAJI.

IN FESTO

S. FRANCISCI DE HIERONYMO CONFESSORIS

DUPLEX MINUS.

Oratio.

Deus, qui S. Franciscum ad animarum salutem eximium verbi tui praeconem effecisti: ejus nobis intercessione concede, ut legis tuae mandata et jugiter scrutemur in corde, et fideliter operibus exequamur. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Franciscus de Hieronymo in Tarentini agri oppido, cui Cryptaleae nomen, honesto loco natus, pia parentum cura institutus, ac Caeli benedictione praeventus, pueritiam egit innocentissimis moribus praestantem, et futurae Sanctitatis indiciis conspicuam. Duodecimo aetatis anno in quorumdam Evangelicorum Operariorum contubernium admissus in catechizandis rudibus adhuc adolescens diligentem operam posuit, et Apostolico ministerio, ad quod Deus illum destinaverat, jam tum proludere visus est. Theologica studia Neapoli aggressus, et Sacerdotio initiatus, ita vitae suae rationes ad Evangelica consilia accommodavit, ut Sacerdotis sancti nomen adeptus fuerit. Societatem Jesu ingressus, jactis in tyrocinio religiosae perfectionis, ardentissimae in Deum, et proximos caritatis, insignis patientiae, aliarumque virtutum fundamentis, quae majus in dies singulos incrementum accipiebant: Theologiae curriculum confecit, et solemni quatuor votorum professione sese obstringens, eximium regularis observantiae exemplar evasit. Pro sacra ad Japones expeditione, quam martyrii cupidus in votis habuit, Neapoli retentus, praefecturam Missionum jussu Praesulum accepit; quod non sine Dei numine factum eventus comprobavit.

LECTIO V.

Etsi enim corpore erat gracili, neque satis firma valetudine, ac praeterea carnem assiduis jejuniis, vi-

giliis, verberibusque macerabat, tamen tot onera in se suscipiens, quot ferendis plures simul vix pares essent, incredibile dictu est, quanta pro gloria Dei, quam unice quaerebat, egerit, non solum Neapoli, sed in aliis quoque ejusdem regni provinciis, quot labores, et aerumnas tulerit, quanto cum fructu in agro Dominico excolendo plus quam quadraginta annis desudaverit. Frequentes, et saepius plures eodem die habebat conciones per vicos, compita, et plateas, ad carceribus detentos, ad regiis triremibus mancipatos, ad milites, contra circulatores impudentes, contra publicos quosvis peccatores, contra famae prostitutae mulierculas. Accedebant mirabilia signa, tremenda divinae ultionis adversus pervicaces documenta, scrutatio cordium, praedictio rerum futurarum, ejus corporis diversis in locis apparitio, gratia sanitatum, annona divinitus multiplicata, vox etiam ex ore meretricis subita morte correptae extorta, quae se apud inferos esse palam denuntiavit. Ex quo fiebat vix, ut unquam e superiori loco ad populum diceret, quin insignem aliquem peccatorem Christo lucrifaceret. Interdum etiam decem, nonnumquam quindecim meretriculae simul sua crimina deflentes in concione, ad poenitentiam confugerunt.

LECTIO VI.

Assidua ejus opera fuit in aegrotis invisendis, in moribundis ad mortem rite praeparandis, in concordia animorum dissidentium concilianda, in pauperibus ope, ac solatio sublevandis. Communionem, quam dicunt generalem, singulis cujuslibet mensis tertiis diebus Dominicis usque adeo promovit, ut saepe quindecim millia fidelium, aliquando viginti millia, aut eo amplius, ad Eucharisticam mensam convenerint. Exercitiis spiritualibus, ex Sancti Ignatii institutoris praescripto, sacerdotum coetus, virorum, et virginum Deo devotarum monasteria, puellarum coenobia, studentium juvenum collegia, et seminaria, atque omno

hominum genus mirifice excoluit. Gravissimas difficultates, et molestias, quas illi daemon excitabat, invicta patientia superavit: nec semel maxillam percutientibus submisso animo alteram praebuit: quin et acerbissimos dolores brachio captivi Mahometani, qui eum percusserat, a Deo ultore inflictos signo Crucis repente cessare fecit, hominemque ad Christianam religionem adduxit. Demum in Caelum a Deo evocatus, placide efflavit animam in Neapolitana Professorum domo, die undecima Maji, anno millesimo septingentesimo decimo sexto, aetatis vero suae septuagesimo quarto. Quem meritis, ac miraculis clarum Pius Septimus Pontifex Maximus in Beatorum numerum retulit; novisque signis a Deo illustratum praesertim in Patria; quibus de more probatis, Gregorius Papa XVI solemni ritu in festo SS. Trinitatis Anno millesimo octingentesimo trigesimo nono in Sanctorum albo adnumeravit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium: *Sint lumbi vestri* de Communi Conf. non Pont. 1. loc.

DIE XXIV. MAJI.

IN FESTO

B. MARIAE VIRGINIS TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Duplex majus. Omnia, ut in fine Brev. vel in propr. libello.

DIE XXV MAJI.

IN FESTO

S. GREGORII VII PAPAE, ET CONF.

Duplex. Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, in te sperantium fortitudo, qui beatum Gregorium Confessorem tuum, atque Pontificem, pro tuenda Ecclesiae libertate virtute constantiae roborasti: da nobis ejus exemplo, et intercessione, omnia adversantia fortiter superare. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurrente.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Gregorius Papa Septimus, antea Hildebrandus, Suanae in Etruria natus, doctrina, sanctitate, omnique virtutum genere cum primis nobilis, mirifice universam Dei illustravit Ecclesiam. Cum parvulus ad Fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius, luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa oraculi: Dominabitur a mari usque ad mare, casu formasse narratur, manum pueri ductante Numine, quo significaretur ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. Romam deinde profectus, sub protectione Sancti Petri educatus est. Juvenis Ecclesiae libertatem a laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius dolens, in Cluniacensi

Monasterio, ubi sub regula Sancti Benedicti austerioris vitae observantia eo tempore maxime vigebat, Monachi habitum induens, tanto pietatis ardore Divinae Majestati deserviebat, ut a Sanctis ejusdem Coenobii Patribus Prior sit electus. Sed divina providentia majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primum Monasterii Sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodum Romanae Ecclesiae Cardinalis creatus, sub Summis Pontificibus Leone nono, Victore secundo, Stephano nono, Nicolao secundo, et Alexandro secundo, praecipuis muneribus, et legationibus perfunctus est; sanctissimi, et purissimi consilii vir a beato Petro Damiani nuncupatus. A Victore Papa secundo Legatus a latere in Galliam missus; Lugduni Episcopum Simoniaca labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit. Berengarium in Concilio Turonensi ad iteratam haeresis abjurationem compulit. Cadolài quoque schisma sua virtute compressit.

℟. Inveni David, etc.

LECTIO V.

Mortuo Alexandro Secundo, invitus, et moerens unanimi omnium consensu, decimo Kalendas Maji, anno Christi millesimo septuagesimo tertio, Summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in domo Dei: nam potens opere, et sermone, Ecclesiasticae disciplinae reparandae, fidei propagandae, libertati Ecclesiae restituendae, extirpandis erroribus, et corruptelis, tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum aetate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia Dei labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot provincias a Simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta impavidus permansit, seque pro muro domui Israel ponere non

timuit, ac eumdem Henricum in profundum malorum prolapsum, fidelium communione, regnoque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit.

℟. Posui adjutorium, etc.

LECTIO VI.

Dum Missarum solemnia perageret, visa est viris piis columba e Caelo delapsa humero ejus dextro insidens alis extensis caput ejus velare, quo significatum est; Spiritus Sancti afflatu, non humanae prudentiae rationibus ipsum duci in Ecclesiae regimine. Cum ab iniqui Henrici exercitu Romae gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signo Crucis extinxit. De ejus manu tandem a Roberto Guiscardo Duce Northmanno ereptus, Cassinum se contulit; atque inde Salernum ad dedicandam Ecclesiam Sancti Matthaei Apostoli contendit. Cum aliquando in ea Civitate sermonem habuisset ad populum, aerumnis confectus in morbum incidit, quo se interiturum praescivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere: Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem, propters ea morior in exilio. Innumerabilia sunt, quae vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter constitiut; vir vere sanctus, criminum vindex, et acerrimus Ecclesiae defensor. Exactis itaque in Pontificatu annis duodecim, migravit in Caelum, anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vita, et post mortem miraculis clarus, ejusque sacrum corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorifice conditum.

℟. Iste est, qui ante Deum, etc.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evang. Vigilate *de eodem Communi* 2 loco.

FER. VI. POST OCTAVAM CORPORIS CHRISTI. FESTUM SS. CORDIS JESU

Duplex majus. Omnia, ut in fine Brev.

DOMIN. POST OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

IN FESTO

SS. CORDIS B. M. VIRG.

DUPL. MAJUS

Offic. integrum, ut in festo S. Mariae ad Nives 5 Augusti in corp. Brev. praeter lect. 2. Noct. quae sequuntur.

LECTIO IV.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Dei Filius non divitem, aut locupletem aliquam feminam sibi matrem elegit, sed beatam Virginem illam, cujus anima virtutibus ornata erat. Cum enim beata Maria supra omnem humanam naturam castitatem servaret, propterea Christum Dominum in ventre concepit. Ad hanc igitur sanctissimam Virginem, et Dei matrem accurrentes, ejus patrocinii utilitatem assequamur. Itaque quaecumque estis virgines, ad matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, et incorruptibilem possessionem patrocinio suo vobis conservabit.

℟. Sicut cedrus exaltata etc.

LECTIO V.

Magnum revera miraculum, fratres dilectissimi, fuit beata semper Virgo Maria. Quid namque illa majus, aut illustrius ullo unquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit? Haec sola Caelum, ac terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetae, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchae, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut invisibiles, majus, aut excellentius inveniri potest. Eadem ancilla Dei est, et mater: eadem virgo, et genitrix.

℟. Quae est ista, quae processit, etc.

LECTIO VI.

Haec ejus mater est, qui a Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli, et homines agnoscunt Dominum rerum omnium. Visne cognoscere, quanto Virgo haec praestantior sit Caelestibus potentiis? Illae cum timore, et tremore assistunt, faciem velantes suam: haec humanum genus illi offert, quem genuit. Per hanc et peccatorum veniam consequimur. Ave igitur, mater, Caelum, puella, virgo, thronus, Ecclesiae nostrae decus, gloria, et firmamentum, assidue pro nobis precare Jesum Filium tuum, et Dominum nostrum: ut per te misericordiam invenire in die judicii, et quae reposita sunt iis, qui diligunt Deum, bona consequi possimus, gratia, et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul, et Sancto Spiritui gloria, et honor, et imperium, nunc et semper in saecula saeculorum. Amen.

℟. Ornatam monilibus, etc.

Nona lectio erit de homil. Domin. current.

DIE IV. JUNII.

IN FESTO

S. FRANCISCI CARACCIOLO CONFESSORIS

Relig. Cleric. Regul. Minor. Fund.

DUPLEX MINUS.

Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui Beatum Franciscum novi Ordinis Institutorem orandi studio, et poenitentiae amore decorasti: da famulis tuis in ejus imitatione ita proficere, ut semper orantes, et corpus in servitutem redigentes ad Caelestem gloriam pervenire mereantur. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Franciscus dictus antea Ascanius, ex nobili Familia Caracciolo in Oppido Sanctae Mariae de Villa in Aprutio ortus, a primis annis eximio enituit pietatis cultu. Adolescens graviter aegrotans statuit sese prorsus Dei, proximique mancipare servitio. Mox Neapolim profectus, Sacerdotio initiatus, sacroque adscriptus sodalitio, contemplationi, lucrandisque anima-

bus se totum devovit, ac extremo supplicio damnatis hortatorem se praebuit assiduum. Contigit autem, ut epistolium alteri destinatum ei per errorem redderetur, quo a piissimis Viris Joanne Augustino Adorno, et Fabricio Caracciolo ad novi Religiosi Instituti fundationem vocabatur. Rei novitate captus, et divinae voluntatis demiratus consilia, alacri animo sese illis adjunxit. Conditis autem in Camaldulensium Eremo, quo secesserant, novi Ordinis legibus, inde Romam simul profecti, confirmationem a Sixto Quinto impetrarunt, qui eosdem Clericos Regulares Minores appellari voluit, addito ad tria consueta altero de non ambiendis dignitatibus voto. Tu autem etc.

℟. Honestum etc.

LECTIO V.

Solemni emissa professione, ob singularem ejus in Divum Franciscum Assisinatem cultum Francisci nomen assumpsit. Adorno biennio post vita functo, ipse toti Religioni, quamquam invitus praeficitur: quo in munere virtutum omnium praeclara praebuit exempla. Instituti amplificandi studiosissimus, id assiduis orationibus, lacrymis, et jugi corporis maceratione enixe a Deo postulabat. Quamobrem tertio in Hispaniam se contulit, peregrini habitu indutus, victumque ostiatim mendicans. In itinere asperrima quaeque perpessus, Omnipotentis auxilium mirum in modum expertus, navim, quam conscenderat, ab imminenti naufragio orationis praesidio servavit incolumen. Ut in Regnis illis voti compos fieret, plurimum laboravit, sed ejus sanctitatis fama praelucente, amplissimaque Catholicorum Regum Philippi Secundi, et Philippi Tertii munificentia, adversariorum conatibus singulari animi fortitudine superatis, plura sui Ordinis domicilia fundavit, quod pari eventu per Italiam praestitit. Tu autem etc.

℟. Amavit eum, etc.

LECTIO VI.

Humilitate adeo excelluit, ut Romam veniens in pauperum hospitio receptus se leproso sociaverit; et Ecclesiasticas dignitates a Paulo Quinto sibi oblatas constantissime recusaverit. Illibatam perpetuo servavit virginitatem, effrontesque mulieres ejus castimoniae insidiantes Christo lucrifecit. Erga divinissimum Eucharistiae mysterium ardenti aestuans amore noctes pene integras in ejus adoratione insomnes ducebat; quod pium exercitium, veluti sui Ordinis tesseram, in eo perpetuo servandum constituit. Deiparae Virginis cultum impense fovit. In proximum eximia exarsit charitate. Prophetiae dono, et cordium scrutatione ditatus fuit. Quadragesimum quartum aetatis suae annum agens, dum in Sacra Lauretana Aede in oratione persisteret, sibi vitae finem imminere cognovit: Aprutium statim deflexit, et Agnoni apud alumnos S. Philippi Nerii lethali febri correptus, Sacramentis Ecclesiae devotissime susceptis, pridie Nonas Junii anni millesimi sexcentesimi octavi in pervigilio festi Corporis Christi placidissime obdormivit in Domino. Sacrum ejus Corpus Neapolim delatum in Ecclesia S. Mariae Majoris, ubi prima sui Ordinis jecerat fundamenta, honorifice conditum fuit. Eum postea miraculis clarum Clemens Decimus Quartus Pontifex Maximus solemni ritu inter beatos, Pius vero Septimus Pontifex Maximus novis fulgentem signis anno millesimo octingentesimo septimo Sanctorum albo adscripsit. Tu autem etc.

℟. Iste homo etc.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, *ut in commu. Conf. non Pont.*

DIE XIII JUNII.

IN FESTO

S. ANTONII PATAVINI CONFESS. PATRON. PRAECIP. REGNI NEAPOL.

Dupl. 1. class. cum oct. Omnia, ut in corp. Brev. et ejus fine.

DIE XXIX. JUNII.

Commemorationes, quae fieri debent die 29. *Junii in Festo Ss. Petri, et Pauli, in quo agitur memoria omnium Ss. Apostolorum, ac Martyrum tam in Officio, quam in Missa, juxta Apostolicas Literas in forma Brevis expeditas die* 10. *Aprilis* 1818.

IN I. VESPERIS.

Post orationem diei.

Pro omn. Ss. Apost.

Antiph. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.
℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus.
℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, et omnium Sanctorum Apostolorum tuorum tuere praesidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis.

Pro omn. Ss. Mm.

Antiph. Isti sunt Sancti, quos elegit Dominus in

caritate nón ficta, et dedit illis gloriam sempiternam.

℣. Justi epulentur, et exultént in conspectu Dei.

℞. Et delectentur in laetitia.

Oremus.

Deus, qui glorificaris in concilio Sanctorum Martyrum tuorum, respice ad preces humilitatis nostrae, ut quorum solemnia celebramus, eorum precibus adjuvari mereamur. Per Dominum etc.

AD LAUDES.

Pro omn. Ss. Apost.

Antiph. Vos, qui sequuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.

℞. Et in fines orbis terrae verba eorum.

Oratio. Exaudi etc. ut supra.

Pro omn. Ss. Mm.

Antiph. Sancti tuì, Domìne, semper benedicant te, et gloriam Regni tui dicant.

℣. Mirabilis Deus in Sanctis tuis.

℞. In Sanctis ejus laudate Deum.

Oratio. Deus qui etc. ut supra.

IN II. VESPERIS.

Pro omn. Ss. Apost.

Antiph. Vos amici meì estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis, dicit Dominus.

℣. Gloriosus in Sanctis suis faciens mirabilia.

℞. Hic Deus meus, et glorificabo eum.

Oratio. Exaudi etc. ut supra.

Pro omn. Ss. Mm.

Antiph. Dico autem vobis amicis meis, ne timeatis ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

℣. Justi autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Oratio. Deus, etc. ut supr.

MENSE JULIO.

DOM. III. JULII.

IN FESTO

SS. REDEMPTORIS.

Duplex majus. Omnia, ut in fine Brev.

DIE XXXI. JULII.

IN FESTO

S. IGNATII LOYOLAE CONFESSORIS

DUPLEX MINUS.

Offic. de commu. Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui ad majorem tui Nominis gloriam propagandam, novo per Beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti: concede, ut ejus auxilio, et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in Caelis. Per Dominum.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV.

Ignatius natione Hispanus, nobili genere, Loyolae in Cantabria natus, primo Catholici Regis aulam, deinde militiam secutus est. In propugnatione Pampelonensi accepto vulnere graviter decumbens, ex fortuita piorum librorum lectione ad Christi, Sanctorumque sectanda vestigia mirabiliter exarsit. Ad montem Serratum profectus, ante Aram beatae Virginis suspensis armis noctem excubans, sacrae militiae tyrocinium posuit. Inde, ut erat indutus sacco, traditis antea mendico pretiosis vestibus, Manresam secessit; ubi emendicato pane, et aqua victitans, exceptisque diebus Dominicis jejunans, aspera catena, cilicioque carnem domans, humi cubans, et ferreis se flagellis cruentans, per annum commoratus est, claris adeo illustrationibus a Deo recreatus, ut postea dicere solitus sit; Si sacrae Litterae non extarent, se tamen pro fide mori paratum ex iis solum, quae sibi Manresae patefecerat Dominus. Quo tempore homo litterarum plane rudis admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicae judicio, et omnium utilitate comprobatum.

℟. Honestum fecit, etc.

LECTIO V.

Ut vero se ad animarum lucra rite formaret, subsidium litterarum a Grammatica inter pueros exorsus, adhibere statuit. Cumque nihil interim omitteret de studio alienae salutis, mirum est, quas ubique locorum aerumnas, ac ludibria devoraverit, asperrima quaeque et vincula, et verbera pene ad mortem usque perpessus: quibus tamen longe plura pro Domini sui gloria semper expetebat. Lutetiae Parisiorum adjunctis sibi ex illa Academia variarum nationum sociis

novem, qui omnes artium magisteriis, et Theologiae gradibus insignes erant, ibidem in monte Martyrum prima Ordinis fundamenta jecit: quem postea Romae instituens, ad tria consueta, quarto addito de Missionibus voto, Sedi Apostolicae arctius adstrinxit: et Paulus Tertius primo recepit, confirmavitque: mox alii Pontifices, ac Tridentina Synodus probavere. Ipse autem misso ad praedicandum Indis Evangelium Sancto Francisco Xaverio, aliisque in alias mundi plagas ad Religionem propagandam disseminatis, ethnicae superstitioni, haeresique bellum indixit, eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum, sicut alios aliis temporibus Sanctos Viros, ita Luthero, ejusdemque temporis haereticis Ignatium, et institutam ab eo Societatem objecisse.

℟. Amavit eum, etc.

LECTIO VI.

Sed in primis inter Catholicos instaurare pietatem curae fuit. Templorum nitor, Catechismi traditio, Concionum, ac Sacramentorum frequentia ab ipso incrementum accepere. Ipse apertis ubique locorum ad juventutem erudiendam in litteris, ac pietate gymnasiis, erectis Romae Germanorum collegio, male nuptarum, et periclitantium puellarum coenobiis; utriusque sexus tam orphanorum, quam catechumenorum domibus, aliisque pietatis operibus, indefessus lucrandis Deo animis instabat: auditus aliquando dicere: si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, et interim Deo inservire, et proximorum saluti, quam certum ejusdem gloriae statim mori. In daemones mirum exercuit imperium. Vultum ejus Caelesti luce radiantem Sanctus Philippus Nerius, aliique conspexere. Denique aetatis anno sexagesimo quinto, ad Domini sui amplexum, cujus majorem gloriam in ore semper habuerat, semper in omnibus quaesierat, emigravit. Quem Gregorius Decimus Quintus, magnis in Eccle-

sia meritis, et miraculis illustrem, Sanctorum fastis adscripsit.

IN III. NOCTURNO.

Lect. Hom. in Evang. Designavit Dominus, *ut in comm. Evangelist. cum* ℟℟. *de comm. Conf. non Pont.*

MENSE AUGUSTO

DIE II. AUGUSTI.

IN FESTO

S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO CONFESSORIS PONT.

Duplex Minus.

Offic. de com. Conf. Pont. praet. ea, quae sequunt.

IN I. VESPERIS.

HYMNUS.

En, qui benigne nexibus
  Solvit revinctos criminum,
  Caelique callem deviis
  En qui retexit sedulus.
Oh quot labores pertulit,
  Æstusque mentis asperos,
  Ex ore prompte daemonis
  Eos ut atro tolleret!
Pagos, et urbes permeat,
  Plagasque cultas rusticis,
  Ibique Christi dogmata
  Ardore multo seminat.
Et ut docere dissitos,
  Omnesque possit posteros,
  Edit libros multiplices
  Cunctis futuros saeculis.

Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

Oratio.

Deus, qui per Beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum, atque Pontificem animarum zelo succensum, Ecclesiam tuam nova prole foecundasti: quaesumus, ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati, ad Te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

HYMNUS.

Dum corda plebis commovet,
Eamque belle provocat
Alphonsus, ut fiduciam
In Matre ponat Numinis;
Monstrum novum, mirabile
Stupore plena conspicit,
Immensa quod supiria,
Dulcesque guttas excitat.
Imago namque Virginis
Se luce vestit protinus,
Jubarque vibrat, quod pium
Loquentis os illuminat.
Probavit hoc miraculo
Regina Caeli praepotens
Verum fuisse, fervido
Quod fudit ipse pectore.
Aeterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

In I. Noct. Lect. de scr. occur.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Alphonsus Maria de Ligorio Neapoli nobilibus parentibus natus, ab ineunte aetate non obscura praebuit sanctitatis indicia. Eum adhuc infantem cum parentes obtulissent Beato Francisco de Hieronymo e Societate Jesu, is bene precatus edixit, eumdem ad nonagesimum usque annum perventurum, ad Episcopalem dignitatem evectum iri, maximoque Ecclesiae bono futurum. Jam tum a puerilia a ludis abhorrens, nobiles ephebos ad Christianam modestiam verbo, et exemplo componebat. Adolescens, dato piis sodalitatibus nomine in publicis nosocomiis aegrotis inservire, jugi in templis orationi vacare, ac sacra Mysteria frequenter obire in deliciis habebat. Pietatem litterarum studiis adeo conjunxit, ut sexdecim vix annos natus utriusque Juris lauream in patria universitate fuerit assequutus. Patri obtemperans, causarum patrocinia suscepit, in quo munere obeundo, etsi magnam sibi laudem comparasset, fori tamen pericula expertus, ejusmodi vitae institutum ultro dimisit. Spreto igitur praeclaro conjugio sibi a patre proposito, avita primogenitura abdicata, et ad Aram Virginis de Mercede, ense suspenso, divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus tanto zelo irruit in vitia, ut Apostolico munere fungens, huc illuc pervolans, ingentes perditorum hominum conversiones perageret. Pauperum praesertim, ruricolarum miseratus, Congregationem Presbyterorum instituit Sanctissimi Redemptoris, qui ipsum Redemptorem secuti, per agros, pagos, et castella pauperibus evangelizarent. ℟. Inveni David, etc.

LECTIO V.

Ne autem a proposito unquam diverteret, perpe-

tuo se voto obstrinxit nullani temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus, tum divini verbi praedicatione, tum scriptis sacra eruditione, et pietate refertis animas Christo lucrifacere, et ad perfectiorem vitam adducere studuit. Mirum sane, quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit. Dei Genitricis cultor eximius, de illius laudibus librum edidit, ac de iis, dum ferventius concionando disserit, a Virginis Imagine, in eum immisso miro splendore, totus facie coruscare, et in ecstasim rapi coram universo populo non semel visus est. Dominicae Passionis, et Sacrae Eucharistiae contemplator assiduus, ejus cultum mirifice propagavit. Dum vero ad ejus Aram oraret, vel Sacrum faceret, quod nunquam omisit, prae amoris vehementia, vel seraphicis liquescebat ardoribus, vel insolitis quatiebatur motibus; vel abstrahebatur a sensibus. Miram vitae innocentiam, quam nulla unquam lethali labe foedavit, pari cum poenitentia socians corpus suum inedia, ferreis catenis, ciliciis, cruentaque flagellatione castigabat. Inter haec prophetiae, scrutationis cordium, bilocationis, et miraculorum donis inclaruit.

℟. Posui adjutorium, etc.

LECTIO VI.

Ab Ecclesiasticis dignitatibus sibi oblatis constantissime abhorruit. At Clementis Decimi Tertii Pontificis auctoritate coactus, Sanctae Agathae Gothorum Ecclesiam gubernandam suscepit. Episcopus externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, summus Christianae disciplinae zelus, impensum in vitiis coercendis, arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiae proventus eiisdem distribuebat, ac urgente annonae caritate ipsam domesticam supelle-

ctilem in alendis famelicis erogavit. Omnibus omnia factus, Sanctimoniales ad perfectiorem vivendi formam redegit, suaeque Congregationis Monialium Monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves, habitualesque morbos dimisso, ad Alumnos suos, a quibus pauper discesserat, revertitur pauper. Demum quamvis senio, laboribusque, diuturna athritide, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior de Caelestibus rebus disserendi, aut scribendi finem numquam adhibuit; donec nonagenarius Kalendis Augusti anno millesimo septingentesimo octogesimo septimo Nuceriae Paganorum inter suorum Alumnorum lacrymas placidissime expiravit. Eum inde virtutibus, et miraculis clarum Pius Septimus Pontifex Maximus anno millesimo octingentesimo decimo sexto Beatorum fastis adscripsit: novisque fulgentem signis Gregorius XVI in festo SS. Trinitatis anno millesimo octingentesimo trigesimo nono solemni ritu Sanctorum Catalogo accensuit.

℟. Iste est, qui, etc.

Lect. III. Noct. de comm. Evangelistar. Designavit Dominus.

AD LAUDES

HYMNUS.

Alphonse, cur nam juscula
 Herbis amaris inficis?
 Corpus tuum durissimo
 Quare flagello percutis?
Rerum premens angustia,
 Frigus, calor, jejunium,
 Sitis, laborque pervigil
 Submisit illud affatim.
Intacta sint, hoc efficis,
 Ut castitatis lilia
 Tuae, cibumque divitem
 Virtutibus des caeteris.

Sic in tumultu saeculi
Vita fruentes accolae
Possunt eremi consequi
Gressus tuos Antistites.
Æterna Patri gloria;
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus,
Sit in perenni tempore. Amen.

DIE XIV. AUGUSTI.

IN FESTO

BB. ANTONII PRIMALDI, ET SOCIORUM MARTYRUM HYTRUNTINORUM.

Semiduplex. Omnia de Comm. plurim. Martyrum praeter sequentia.

Oratio.

Praesta quaesumus, Omnipotens Deus: ut qui gloriosos Martyres Antonium, et Socios fortes in sua confessione cognovimus, pios apud Te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum nostrum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lectio de Script. etc.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Antonius Primaldus, et octingenti circiter Socii Martyres Hydruntini, Christi fidem postremis hisce saeculis suo sanguine illustrarunt, et insigni fortitudinis exemplo primaevam Ecclesiae gloriam revocarunt.

Anno siquidem reparatae salutis millesimo quadringentesimo octogesimo, quum Achomates classis Mahumeti Secundi praefectus in perniciem tenderet Italiae, Hydruntum devectus, urbem penitus imparatam facili negotio subigere ratus est. Tanta vero fuit Hydruntinorum virtus, ut cum hostibus Sanctae Fidei pacisci, ne ferendis quidem conditionibus, passi sint. Per quindecim igitur dies acriter utrinque pugnatum est; sed jam disjectis moenibus, tandem barbarorum numerus praevaluit, qui vi urbe potiti, cuncta caedibus compleverunt: sic per diurnos labores, multasque tribulationes servos suos Dominus ad coronam disponebat.

℟. Sancti tui.

LECTIO V.

Hydruntinorum constantia, suorumque ingenti clade non leviter commotus Achomates crudelis homo, et Christiano nomini infessissimus, inter eos, quos servituti addiderat, viros omnes secerni jubet decimoquinto anno majores, qui octingenti circiter inventi sunt. Nudi, manibusque post terga colligatis, ex urbe ad clivum Minervae (postea Martyrum dictum) coram barbaro duce deducuntur: electo huic populo fides Christi ejuranda proponitur; libertas, et patriae salus, dum pareant promittitur; mors, vero, si renuant, indicitur. At exemplo vero singulari, nemo unus in tanto numero repertus est, qui vel spe libertatis allectus, vel mortis timore perculsus, a fide Christi desciverit. Omnes enim ab Antonio viro religione spectabili confirmati, invocantes dulcia Jesu, et Mariae nomina, seque invicem cohortantes, datis fortiter pro Christo cervicibus, Martyrii palmam assequuti sunt.

℟. Verbera carnificum. etc.

LECTIO VI.

Martyrium hoc plurimis prodigiis Deus quoque confirmavit. Ferunt enim Antonii corpus, abscisso capite, constitisse, nec nisi finita Sociorum caede potuisse dejici; atque insuper omnia Beatorum corpora per tredecim menses diu exposita penitus integra, et incorrupta permansisse. Quare ab Alphonso Calabriae Duce Ferdinandi Regis filio, urbe recuperata, summa religione, ac pompa, ipsoque comitante ad reconciliatam Metropolitanam Ecclesiam importantur, et in egregio Sacello, quod regali munificentia Rex dotaverat, collocantur. Quadriennio fere post biscentum circiter quadraginta ex iisdem Martyrum corporibus idem Alphonsus Dux Neapolim asportavit, atque in Ecclesia Beatae Mariae Magdalenae prope Castrum Capuanum collocavit; unde postea ad Ecclesiam Sanctae Catharinae ad Formellum nuncupatam translata sunt, ubi nunc etiam pie, sancteque recoluntur. Reliqua vero sacra pignora illorum patria Hydruntum veneratur, Beatorumque Martyrum praesentem opem saepissime experta, cultum ab immemorabili tempore iisdem praestitum, Clementis Decimi Quarti Pontificis Maximi Apostolica auctoritate comprobandum curavit.

℟. Tanquam aurum.

IN III. NOCTURNO.

Homil. S. Gregorii Pp. in Evang. Cum audieritis, de eodem commun. 1. loco.

DIE XVI. AUGUSTI

IN FESTO

S. ROCHI CONFESSORIS

Duplex. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Populum tuum, quaesumus Domine, continua pietate custodi: et beati Rochi suffragantibus meritis, ab omni fac animae, et corporis contagione securum. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Rochus in Monte Pessulano natus, quanta in proximum caritate flagraret, tum maxime ostendit, cum saevissima peste longe, lateque per Italiam grassante, Patria relicta, Italicam peregrinationem suscepit, urbesque, et oppida peragrans; seipsum in aegrotantinm obsequium impendere, animamque suam pro fratribus ponere non dubitavit. Quod beati viri studium, quam gratum Deo fuerit, miris sanationibus declaratum fuit. Complures enim pestilentia infectos e mortis periculo signo Crucis eripuit, et integrae sanitati restituit. In Patriam reversus, virtutibus, et meritis dives sanctissime obiit, ejusque obitum statim subsecuta est veneratio Fidelium, quae in Constantiensi deinde Con-

cilio magnum recepisse dicitur incrementum, cum ad propulsandam ingruentem luem, Rochi imago solemni pompa, omni comitante Populo per eamdem Civitatem, Episcopis approbantibus, est delata. Itaque ejus cultus mirifice propagatus est in universo terrarum orbe, qui eumdem sibi apud Deum adversus contagiosam luem Patronum religioso studio adoptavit. Quibus accurate perpensis, Urbanus octavus Pontifex Maximus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent Ecclesiae Sancti Rochi nomine Deo dedicatae, Officio Ecclesiastico celebraretur, indulsit.

℟. Honestum fecit.

LECTIO V.

Ex Tractatu S. Augustini Episcopi in Epistolam Joannis.

Tract. 5. in cap. 3.

Perfecta ista caritas est, ut paratus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dominus in se exhibuit, mortuus pro omnibus, orans pro eis, a quibus crucifigebatur, et dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Sed si solus hoc fecit, non erat Magister, si discipulos non habebat. Si quis tantam habuerit caritatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo caritas. Sed numquid mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur: cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Optabam dissolvi, et esse cum Christo: multo enim magis optimum: manere in carne necessarium propter vos. Propter eos volebat vivere, pro quibus paratus erat mori.

℟. Amavit eum.

Ex Tractatu 6.

LECTIO VI.

Haec est perfectio caritatis, et major omnino non potest inveniri : sed quia non in omnibus perfecta est, et desperare non debet, in quo perfecta non est, si jam nata est, quae perficiatur, et utique si nata est, nutrienda est, et quibusdam suis nutrimentis ad perfectionem propriam perducenda. Quaesivimus inchoationem caritatis, unde incipiat, et ibi continuo invenimus : Si quis habet facultates hujus Mundi, et viderit fratrem suum egentem, et clauserit viscera sua adversus eum, quomodo dilectio Patris manet in illo? Ergo hic incipit ista caritas, fratres, ut de suis superfluis tribuat egenti in angustiis aliquibus constituto, ex eo quod sibi abundat, secundum tempus a tribulatione temporali liberet fratrem. Hinc exordium est caritatis. Hanc ita coeptam, si verbo Dei, et spe futurae vitae nutrieris, pervenies ad illam perfectionem, ut paratus sis animam tuam ponere pro fratribus tuis.

℟. Iste homo, etc.

In III. Noct. Homil. in Evang. Homo quidam nobilis, *ut in Festo S. Ludovici Reg.* 25, *vel* 26 *Aug. in Brev. Rom.*

DIE XVIII. AUGUSTI

IN FESTO

S. PHILUMENAE VIRG. ET MART.

Ex die 11. *August. translat. et perpet. assign. die* 18 *hujus ex Decr. S. R. Congr. in Puteol. die* 6 *Aug.* 1837 *edit.*

DUPLEX MINUS.

Omnia de comm. Virg. et Mart. I. *loc. praeter sequentia.*

Oratio.

Deus, qui inter caetera potentiae tuae miracula etc.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Inter caetera Martyrum sepulcra, quae in Coemeterio Priscillae ad Viam Salariam reperiri solent, illud extitit, quo repositum fuerat Sanctae Philumenae corpus, uti ex Tumuli inscriptione tribus laterculis apposita perlegebatur. Licet vero inventa ibidem fuerit phiala sanguinis, et alia insculpta conspicerentur Martyrii insignia, dolendum tamen est, res ab [illegible] gestas, actaque, ac genus Martyrii, quod [illegible]cit, obscura perstitisse. Caeterum ubi primum [illegible] hoc corpus, ex beneficentia Pii Septimi initio Pontificatus ejus acceptum, cultui fidelis Populi propositum fuit Mugnani in Nolana Dioecesi, ingens illico famae celebritas, ac religio erga Sanctam Martyrem percrebuit, praesertim ob signa, quae Ejusdem praesidio accessisse undique ferebantur. Hinc factum est, ut complurium Antistitum, cultorumque Martyris postulationibus permotus Gregorius XVI. Pontifex Maximus, universa rei ratione mature perpensa, Festum Ejusdem cum Officio, et Missa in memorata Nolana Dioecesi, et alibi agendum benigne permiserit.

LECTIO V. ET VI.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi. Quoniam hodie Natalis, etc. *quae sunt quarta, et quinta de comm. primo loco.*

Lect. III. Noct. de eodem comm. 1. *loco.*

DIE XIX. AUGUSTI.

IN FESTO

S. LUDOVICI

Filii Primogeniti Caroli II. Siciliae Regis, Episcopi Tolosani, et Confessoris, Ordinis Minor. S. Francisci.

DUPLEX SECUNDAE CLASSIS.

Omnia de comm. Confess. Pontif. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beatum Ludovicum Confessorem tuum, atque Pontificem Caeleste Regnum terr[illegible]re docuisti, ac puritate illibata, et eximia [illegible] caritate mirabiliter decorasti: concede; ut ej[illegible] virtutes aemulantes in terris, coronari cum ipso mereamur in Caelis. Per Dominum nostrum.

IN I. NOCTURNO.

Lection. Fidelis sermo, *de eodem Comm. Conf. Pontif.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ludovicus nobilissimo genere natus, patrem habuit Carolum Secundum Siciliae Regem, matrem vero Mariam Hungariae Regis filiam. Adhuc puer in sortem Domini vocatus, posthabitis aetatis illius oblectamentis, divino se totum cultui mancipavit. Decimum quartum agens annum, una cum duobus fratribus pro Genitoris libertate in bello navali a Rege Aragoniae capti obses ductus in Catalauniam, Barcinone apud Minores Sancti Francisci fere septennio est commoratus; sub eorumque disciplina in scientiarum studiis, ac sacrarum literarum comparanda eruditione eo progressus est, ut constans fuerit opinio, ipsi potius fuisse divinitus infusas, quam humanitus acquisitas. Verum majori conatu Caelestis Magistri doctrina spiritum instruere anhelans, ciliciis, jejuniis, ferreis flagellis carnem afflixit. Assidua interim Evangelicae veritatis meditatione contemptibilia mundi spernere edoctus, Regalis solii fastum calcare deliberavit, ac de Seraphico amplectendo Instituto, raro humilitatis exemplo, votum emisit.

℟. Inveni David, etc.

LECTIO V.

Ecclesiasticae militiae adscriptus, et ad sacros Ordines deinde promotus, ut quod mente statuerat, opere firmaret, juri Primogeniturae renunciavit, et Regno: cumque votum, quod Barcinone voverat, in Monte Pessulano frustra adimplere satageret, illius Coenobii Fratribus timore Regis patris eum recipere non audentibus, solemniter renovavit. Mox ad Ecclesiam Tolosanam a Bonifacio Octavo, quamvis invitus, assumptus, Romamque accersitus, et ad eodem

honorifice exceptus, electioni de se factae nullatenus se assensurum declaravit, donec votum, quo se obstrinxerat, Deo reddidisset. Quare annuente Pontifices habitu Ordinis Minorum, quem semper postea retinuit, rite suscepto, in manibus Generalis Ministri professionem emisit; hisque peractis Apostolicis mandatis humiliter obtemperans, Episcopus Tolosanus passus est consecrari.

℟. Posui adjutorium, etc.

LECTIO VI.

Tolosam ad illius Ecclesiae regimen profectus, spirituali animarum lucro totus incubuit; utque ministerium Apostolicum integre, ac diligenter impleret, salutaribus monitis, illibataeque vitae exemplo peccatores ad poenitentiam revocavit, pluresqne Judaeos, atque Gentiles assidua verbae Dei pridicatione ad Orthodoxam fidem convertit. Ecclesiasticam disciplinam ubiqne in commissa sibi Dioecesi promovit, ac restauravit. Liberalis in pauperes, vingintiquinque ex eis quotidie domi aluit. Puritatem usque ad obitùm a pueritia nitidissime custodivit. Humilitatis tandem, caritatis, atque omnium virtutum ornamento decorus, in juvenili aetate Brincolae Provinciae Arcae ardenti febre correptus, ad Domini sui amplexum, quem in votis semper habuerat, emigravit. Magnis deinde in Ecclesia meritis clarum, et miraculis illustrem, inter quae plures mortui ejus intercessione ad vitam revocati enumerantur, Joannes Vigesimus Secundus in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iste est, qui, etc.

IN III. NOCTURNO.

Homil. S. Hilarii Ep. in Evang. Vigilate, *de Comm. Conf. Pontif. secundo loco.*

DIE XX. AUGUSTI.

IN FESTO

S. BERNARDI ABBAT. ET ECCL. DOCTORIS.

(ex nov. Decr. 28 Julii 1830).

DUPLEX MINUS.

Omn. de com. Conf. non Pontif.

In utrisq. Vesp. Ant. ad Magn. O Doctor, *orat.* Deus, qui populo tuo, *de comm. Doct.*

Lect. I. Noct. de script. etc.
Lect. II. Noct. prop. in corp. Breviar.

Sed in fine lect. 6. addatur . . . *Pius vero VIII. Pontifex Maximus ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio Sanctum Bernardum universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, et confirmavit, nec non Missam, et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque Indulgentias plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cisterciensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti festo concessit.*
Lect. III. Noct. de com. Doct. Homil. in Evang. Vos estis sal terrae.

MENSE SEPTEMBRIS

DIE XIX. SEPTEMBRIS.

IN FESTO

S. JANUARII EPISCOPI, ET MARTYRIS, PRAECIPUI PATRONI REGNI NEAPOLITANI, AC TITULARIS CATHEDRALIS ECCLESIAE PUTEOLANAE

Dupl. 1. *Class. cum octava. Omnia, ut in fine Breviarii hac die.*

MENSE OCTOBRI

DOM. II. OCTOBRIS.

IN FESTO

MATERNITATIS B. M. V.

Duplex majus. Omnia, ut in fine Brev. vel in propr. libello.

DOM. III. OCTOBRIS.

IN FESTO

PURITATIS B. M. V.

Duplex majus. Omnia, ut in fine Brev. vel in propr. libello.

DIE XIV. OCTOBRIS.

IN FESTO

S. CALLISTI PAPAE, ET MART.

DUPLEX.

Omnia, ut in corp. Breviar. hac die notat. praeter seq. lection. II. noct.

LECTIO IV.

Callistus Romanus praefuit Ecclesiae, Antonino Eliogabalo Imperatore. Constituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum ab omnibus servaretur. Ædificavit Basilicam S. Mariae Transtyberim, et in via Appia vetus Coemeterium, in quo multi sancti Sacerdotes, et Martyres sepulti sunt, ampliavit; unde ab eo Callisti Coemeterium appellatur.

℟. Honestum fecit illum, etc.

LECTIO V.

Ejusdem pietatis fuit, quod B. Calepodii Presbyterii, et Martyris corpus jactatum in Tyberim, conquiri diligenter curavit, et inventum honorifice sepelivit. Palmatium Consulari, Simplicium Senatoria dignitate illustres, Felicem, et Blandam, qui deinde omnes martyrium subiere, cum baptismo lustrasset; missus est in carcerem, ubi privatum militem ulceribus plenum admirabiliter sanitati restitutum Christo adjunxit; pro quo idem recens adhuc in fide suscepta, plumbatis usque ad mortem caesus, occubuit.

℟. Desiderium, etc.

LECTIO VI.

Sedit Callistus annos quinque, mensem unum, dies duodecim. Ordinationibus quinque mense Decembri creavit Presbyteros sexdecim, Diaconos quatuor, Episcopos octo. Post longam famem, crebrasque verberationes, praeceps actus in puteum, atque ita martyrio coronatus sub Alexandro Imperatore illatus est in Coemeterium Calepodii, Via Aurelia, tertio ab Urbe lapide, pridie Idus Octobris. Ejus postmodum corpus in Basilicam S. Mariae Transtyberim, ab ipso aedificatam, delatum, sub Ara Majori maxima veneratione colitur.

℟. Stola jucunditatis etc.

MENSE NOVEMBRI

DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

IN FESTO

S. JACOBI DE MARCHIA CONFESSORIS.

DUPLEX.

Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequent.

Oratio.

Deus, qui ad animarum salutem, et peccatores e vitiorum coeno ad viam virtutis revocandos, Beatum Jacobum Confessorem tuum Evangelii praeconem eximium effecisti: concede propitius, ut ejus intercessione a peccatis omnibus expiati, vitam consequamur aeternam. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Jacobus Monte Prandonum Piceni Oppido in Dioecesi Asculana piis Parentibus natus, ab ipsa pueritia bonarum artium, et literarum studia magna cum pietate conjunxit. Adolescens mundi vanitatem cogitans, Carthusianorum Instituto nomen dare constituerat; Deo tamen, qui eum ad animarum salutem, et fidei propagationem destinaverat, ducente, Minorum Familiam ingressus est. In ipso Tyrocinio, quod in Coenobio Carcerum apud Assisium posuit, obedientia, paupertate, caeterisque virtutibus ita excelluit, ut religiosae perfectionis exemplar absolutissimum ab omnibus haberetur. Virginitatem perpetuo illibatam servavit, trium horarum sommo contentus, reliquam noctem Divinis in laudibus, cruentis flagellationibus, rerumque Caelestium contemplatione transigebat. Loricam ferream supra nudas carnes annis gestavit prope viginti, quam postea jussu Sacerdotis, qui ejus confessiones excipiebat, cilicio asperrimo commutavit. Semel in die pane, et aqua vescebatur, additis raro crudis fabis, herbisque silvestribus obsonii loco. Quam durissimam vivendi rationem tenuit, donec aetate provectum, et ob assiduos labores mala affectum

valetudine, ut mitius aliquando secum ageret, Sancti Bernardini Senensis auctoritas impulit.

℣. Honestum fecit.

LECTIO V.

Sacerdos factus, et ad munus concionandi delectus, vivo, et efficaci sermone flagitia hominum constanter, et libere increpabat. Nec Viros nobiles, ac potentes reprehendere est veritus, si quos criminibus irretitos offendisset: tantusque fiebat ad eum audiendum concursus, ut cum frequentiam capere vel magna templa non possent, in plateis; atque areis suggesta erigi passim oporteret. Hinc Imperatores, Reges, et Praesules amplissimi certatim apud se eum concionantem habere voluerunt. Mediolani de Magdalenae lacrymis dicens, sex et triginta impudicas mulieres a turpi quaestu avocavit: quibus etiam pecunia corrogata ad pie vivendum domicilium extruxit. Tum Sfortia Duce, ac Civibus vehementer instantibus, ut Archiepiscopale munus susciperet, eam dignitatem constantissime recusavit. Bis centena infidelium millia baptismi lavacro tinxisse, et in Hungaria brevi tempore quinquaginta Haereticorum millia ad Ecclesiae sinum reduxisse fertur. In Italia nequissimam Fraticellorum sectam iterum, ac tertio reviscentem, penitùs extinxit. Ferrariensi Concilio, quod postea Florentiam translatum fuit, interfuit. Sigismundum, et Albertum Imperatores in maximis Regni difficultatibus, praesertim vero in expeditione in Turcas promovenda, et Haereticis debellandis, consilio, et opera adjuvit. Sancto Joanni a Capistrano sacri Socialis Belli adversus Turcas Pontificiae Legationis Consiliario in Hungaria defuncto, suffectus fuit.

℟. Amavit eum Dominus.

LECTIO VI.

Martini Quinti, Eugenii Quarti, Nicolai Quinti, Callisti Tertii, Pii Secundi, Pauli item Secundi, et Sixti Quarti contra Haereticos Fraticellos, Manichaeos redivivos, Patarenos, Hussitas, Taboritas legationibus functus est. Quibus in expeditionibus Italiam universam non semel percurrit; Illyricum tertio, Pannoniam, Sarmatiam, Bohemiam, finitimasque Provincias peragravit. Tot autem itinera sine sacculo, et pera, Apostolorum more, pedibus confecit, ope Divina fretus; quae tum maxime patuit, cum rejectus a nauta Padum amnem, pallio super aquas instrato, cum socio pertransiit. Denique Neapoli, quo Sixti Quarti jussu, instante Ferdinando Rege, profectus erat, extremo morbo correptus, Ecclesiae Sacramentis rite susceptis, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, aetatis octogesimo quinto, quarto Kalendas Decembris spiritum Deo reddidit. Multis post obitum miraculis claruit, quibus rite cognitis Urbanus Octavus ejus Officium, et Missam ab Ordine Fratrum Minorum, et a Clero Neapolis celebrari permisit, quae Jacobum inter alios Patronos cooptaverat. Corpus ejus in Æde Sacra Sanctae Mariae Novae incorruptum adhuc, et flexibile permanet. Quod cum Vincentius Cardinalis Ursinus, qui postea Benedictus Decimus tertius fuit, suis manibus contrectaret, et Philippo Quinto Hispaniae Regi venerandum offerret, odorem suavissimum expirare compertum est. Idem vero Pontifex anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto Jacobum novis miraculis coruscantem in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Ev. Sint lumbi vestri etc.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

IN FESTO

S. EMYGDII EPISCOP. ET MARTYRIS

DUPLEX

Omnia de commu. un. Mart. praeter ea, quae hic assignantur.

Oratio.

Deus, qui Beatum Emygdium Martyrem tuum, atque Pontificem Idolorum victoria, et miraculorum gloria decorasti: concede propitius, ut eo interveniente, malorum Spirituum fraudes vincere, et coruscare virtutibus mereamur. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de scr. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV.

Emygdius e nobili Francorum prosapia Treveris natus, anno aetatis vigesimo tertio Parentibus Idolatris frustra obstantibus fidem Christi suscepit, et constantissime professus est. Cum tribus Discipulis Euplo, Germano, et Valentino vitam duxit humanis spretis oblectamentis, rebus divinis plenius incumbebat, erga proximum caritatis ardore aestuabat. Idcirco ad procurandam multorum salutem Romam se contulit, hospitio exceptus in Insula Tyberis, hospitis filiam

per quinquennium jam immedicabili morbo languentem Baptismo sanavit.

℟. Honestum fecit.

LECTIO V.

Mox oculis caeci coram populo signo crucis apertis, a multitudine eum filium Apollinis credente, in Templum Æsculapii rapitur. Ibi Christi servum se professus, ejus invocatione, magnum numerum aegrorum, nequidquam Idoli opem implorantium, valetudini restituit. Aras diruit, Æsculapii signum confractum in Tyberim projecit. Quibus rebus, et mille tercentorum Gentilium, praeter Æsculapii Sacerdotes, conversione inde sequuta, indignati Posthumii Titiani Praefecti urbis minas, Angeli monitu declinans, Sanctum Marcellum Pontificem adiit, a quo Episcopus ordinatus, et Asculum missus est.

℟. Desiderium.

LECTIO VI.

Multis in itinere miraculis ingenti multitudine Christo adjuncta, simul ac Asculum Emygdius pervenit, Daemones e simulacris Idolorum per cuncta Fana ejulatibus editis, peregrinam doloris sui caussam indicarunt, quem cum concitata plebs ad caedem quaereret, excitatus tumultu Polymius Civitatis Praeses eum ad se vocatum multis, sed irritis verbis ad Jovis, et Angariae Deae Asculi Patronae venerationem hortatur, promissis etiam in praemium nuptiis propriae filiae Polisae, quam Emygdius ad Christum conversam baptizavit, et post eam mille, et sexaginta homines educta e saxo per ingens miraculum aquarum copia. His in rabiem actus Polymius Sancto Episcopo caput abscidit. Quo facto truncus ejus mirabiliter erectus abjectum humo proprium caput tollens manibus per spatium tercentorum passuum ad Oratorium

portavit. Unde ad Templum maximum translatum est, ubi magna Religione Asculani populi, et concursu externorum hanc usque in diem colitur. Incidit ejus beata mors durante persecutione Diocletiani.

℟. Stola jucunditatis.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Si quis venit ad me etc. *ut in commu. unius Martyris.*

FINIS.

DECRETA S. R. C.

PRO OFFICIIS SANCTORUM HUIC NOSTRAE CIVITATI, ET DIOECESI PUTEOLANAE *NUPER CONCESSIS.*

Decretum Urbis, et Orbis

Providentissimus Deus, qui electam suam Sponsam Ecclesiam super Apostolorum, et Prophetarum fundamentum posuit, eamque summo angulari lapidi Christo Jesu innixam voluit, sapientissimo cavit consilio, ut ad illius praesidium jugiter egregii, sanctique vigilarent Pastores, qui non modo sublimioris virtutis exemplo fidelium Ecclesiae filiorum mores ad justitiam, pietatemque componerent; verum etiam ingenio, doctrinaque celebres eosdem in fidei veritate consolidarent. Hos propterea Divinus Praeceptor sal terrae, mundique lumen nuncupavit, qui non vivae tantum vocis officio, caeterorum Pastorum instar, sibi commissam plebem, sed cunctos Christi fideles, omniumque saeculorum posteritatem conscriptis libris sapientia, et doctrina refertis, etiam extincti erudire non cessant. Quos inter eminet etiam Sanctus Petrus Damianus ab Sac. Mem. Stephano IX, alias X Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis creatus, et Ostiensis Episcopus renunciatus; qui Saeculo XI. Dei Ecclesiam meritis, et Doctrinis illuminavit, designatus idcirco Scriptorum elogio Vir, et Sanctitate, et Doctrina per sua tempora clarus. Hujus porro sanctissimi Viri de universa Ecclesia tot nominibus optime meriti nondum extensum fuisse festum per ipsam universalem Ecclesiam dolentes Apostolici Senatus Patres ita Summum Ecclesiae Hierarcham, et Caput, Pontificem Maximum Leonem XII. per Postulatoriam Epistolam Sacri Cardinalium Collegii nomine deprecati sunt, ut ex Sacrorum Rituum Congregationis Consulto ejusdem S. Petri Damiani Festum celebrari praeciperet universa in Ecclesia septimo Kalendas Martii cum Officio et Missa de communi Doctorum, nec non cum Lectionibus, et Oratione, propriis, jam pro aliquibus Locis adprobatis. Qua Postulatoria una cum Animadversionibus R. P. D. Virgilii Pescetelli Sanctae Fidei Promotoris,

et Advocati, ac Procuratoris Responsionibus diligentissimis in Ordinario Sacrorum Rituum Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto delata, Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, audita relatione Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Julii Maria de Somalia Episcopi Ostiensis, et Veliterni Ponentis, eidemque Congregationi Praefecti, momentis omnibus hinc inde allatis sedulo libratis, matureque discussis unanimi consensu rescribendum censuernnt: « Consulendum SS. pro gratia » Die 27. Septembris 1828.

Facta autem de praemissis omnibus, et singulis SS. Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua in omnibus, annuendo Sacrae Congregationis Rescriptum adprobavit, et confirmavit, ac S. Petrum Damianum Doctorum Albo recensuit, ejusque Officium sub ritu dup. min. cum Lectionibus primi Nocturni de Scriptura instar concessionis factae Clero Ravennaten. de Anno 1723. ad universam extendit Ecclesiam, ac desuper Generale Decretum Urbis, et Orbis expediri praecipit Kalendis Octobris ejusdem Anni 1828.

Julius M. Card. Episcopus Ostien., et Veliternus de Somalia S. Ecclesiae Vice-Cancellarius, et S. R. C. Praefectus, et Ponens etc.

Loco ✠ Sigilli

J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Puteolana.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo humillime supplicavit hodiernus Episcopus Puteolanus, postulans pro sua Dioecesi extensionem sequentium Officiorum Dominicae Passionis, videlicet:

Fer. III. post Dominicam Septuagesimae Orationis in Monte Oliveti Domini Nostri Jesu Christi.

Fer. III. post Dominicam Sexagesimae Commemorationis Dominicae Passionis J. C.

Fer. VI. post Cineres Spineae Coronae D. N. J. C.

Fer. VI. post Dominicam primam Quadragesimae. Lanceae, et Clavorum D. N. J. C.

Fer. VI. post Dominicam secundam Quadragesimae. Sacratissimae Sindonis D. N. J. C.

Fer. VI. post Dominicam tertiam Quadragesimae. Sacrorum quinque Vulnerum D. N. J. C.

Fer. VI. post Dominicam quartam Quadragesimae. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. — Sanctitas sua ad relationem mei infrascripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii benignae annuit pro petita extensione ad Clerum Saecularem, ac Regularem Dioecesano Kalendario utentem ritu dup. maj. quae Officia non possint amandari ad aliam diem, et intra Quadragesimam tantum, nisi occurrente Officio potioris ritus. Servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 31. Maji 1839 — C. M. Episcopus Praenest. Cardinalis Pedicinius, S. R. E. Vice-Cancellarius, S. R. Cong. Praefectus. — J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Puteolana.

Sanctissimus Dominus Noster Gregorius XVI. Pontifex Maximus ad humillimas preces Rev. Episcopi Puteolani per me infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium relatas benigne indulsit, ut a Clero Puteolano Saeculari, et Regulari Dioecesano Kalendario utente recitari queant sub ritu duplicis minoris insequentia Sanctorum Officia, nimirum.

Die V. Martii. Sancti Joannis Joseph a Cruce Confessoris.

Die XI. Maji. Sancti Francisci de Hieronymo Confessoris.

Die II Augusti. Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio Episcopi, et Confessoris.

Servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die. I. Junii 1839. — Pro Em., et Rev. Domino Cardinali Pedicinio Praefecto Substit. Francisc. Cardin. Falzacappa — J. G. Fatati S. R. Congreg. Secretarius.

Puteolana.

Sanctissimus Dominus Noster Gregorius XVI. Pontifex Maximus ad preces Rev. Episcopi Puteolani Petri Ignatii Ma-

rolda referente me infrascripto S. R. C. Segretario, benigne Indulsit, ut a Clero Puteolano Saeculari, et Regulari, Dioecesano Kalendario utente, vel tertio Idus Augusti, vel prima die, quae postea libere occurret, in honorem S Philumenae Virginis, et Martyris recitari queat Officium, uti superiori in exemplari prostat, ac de Eadem Sancta Missa de communi primo loco celebrari valeat. Servatis Rubricis, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 7 Augusti 1837 C. M. Episc. Praenest. Cardinalis Pedicinius S R. C. Vice Cancellarius, S. R. Congreg. Praefectus — J. G. Fatati S. R. Congreg. Secretarius.

Puteolana.

Quo magis, magisque in Christifidelium suae pastorali curae concreditorum cordibus devoti animi sensus erga Beatissimam Virginem Mariam augeantur, humillimas Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo preces porrexit hodiernus Episcopus Puteolanus, postulans facultatem, qua in propria Dioecesi celebrari valeant Officia Beatae Mariae Virginis titulo *Auxilium Christianornm, et de Bono Consilio.* Sanctitas sua, referente me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne annuit pro extensione ad Clerum Saecularem, ac Regularem Dioecesano Kalendario utentem Officii Beatae Mariae Virginis titulo *Boni Consilii* pro die 26 Aprilis ritu dupl. maj. et pariter sub eodem ritu Officii Beatae Mariae Virginis titnlo *Auxilium Christianorum* pro die 24 Maji. Servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. *Die* 21 *Maji* 1839. C. M. Episc. Praenest. Cardinalis Pedicinius S. R. E. Vice-Cancellarius, S. R. C. Praefectus — J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Puteolana.

Sanctorum Emygdii Episcopi Martyris, et Rochi Confessoris patrocinium promereri cooptantes Fideles Civitatis non minus, quam integrae Puteolanae Dioecesis summopere expetunt utriusque memoriam quotannis pia religione recolere, ac proinde Reverendissimus illius Ecclesiae Antistes cum suae

Cathedralis Capitulo, universoque Clero Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo humillimas dedit preces, Apostolicum efflagitans Indultum, quo in suo Kalendario Eorumdem Officia sub ritu duplicis minoris deinceps locum habere valeant. Sanctitas sua, audita relatione a me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario facta, benigne annuit, hac tantum adjecta lege, ut quoties diebus, queis in Romano Martyrologio adnotantur, persolvi nequeant, ab Episcopo Oratore, tanquam in sede fixa assignentur primis occurrentibus diebus liberis, servatis Rubricis Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 6. Aprilis 1840 — C. M. Episcopus Praenest. Cardinalis Pedicinius, S. R. E. V. Cancellarius, S. R. C. Praefectus. J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Puteolana.

Beatissimae Virginis Mariae cultum impensius promoturus Reverendissimus Puteolanus Episcopus cum suae Cathedralis Capitulo, universoque Clero Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium XVI Pontificem Maximum supplex adivit, exposcens extensionem insequentium Deiparae Officiorum sub ritu duplicis majoris quotannis recitandorum ab enunciato suo Clero Saeculari, et Regulari Dioecesano Kalendario utente, nimirum.

Dominica secunda Octobris. Maternitatis Beatae Mariae Virginis.

Dominica tertia Octobris. Puritatis Beatae Mariae Virginis.

Sanctitas sua ad relationem mei infrascripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii, benigne annuit pro petita extensione cum facultate eadem transferendi ad primas insequentes dies liberas juxta Rubricas, occurrente alio Officio potioris ritus, vel majoris dignitatis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 6. Aprilis 1840 — C. M. Episcopus Praenestinus Cardinalis Pedicinius, S. R. E. V. Cancellarius, S. R. C. Praefectus — J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Quum in universa, qua late patet, Puteolana Dioecesi, speciali cultu venerentur Sanctus Disma non minus Bonus Latro, quam Sanctus Jacobus a Marchia Confessor, eorumdem Officiorum jamdiu cum Missis adprobatorum extensionem ad universum suum Clerum Saecularem, et Regularem Dioecesano Kalendario utentem enixis precibus Sacrorum Rituum Congregationem rogavit Reverendissimus memoratae Ecclesiae Antistes. Et sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata, referente me infrascripto Secretario benigne annuit pro petita extensione, ritu tamen duplicis minoris, ac diebus in Martyrologio designatis, vel primi, qui postea liberi occurrent, servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 11. Aprilis 1840 — C. M. Episcopus Praenestinus Cardinalis Pedicinius, S. R. E. Vice-Cancellarius, S. R. C. Praefectus — J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

PRO REGNO NEAPOLITANO

GREGORIUS PAPA XVI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Religiosae Familiae non solum Christianae, verum etiam civili reipublicae magno ornamento, et usui sint, cum Romani Pontifices singulari benevolentia eas semper sint prosecuti, ac piis illarum postulationibus alacri, libentique animo obsecundarint; exponendum nobis curavit dilectus filius Gaspar Montenero Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum S Francisci de Paula eumdem Sanctum ab universo Siciliae regno in praesentia in Compatronum Principalem adlectum fuisse; ac propterea omnes ejusdem Ordinis Religiosos Regni Siciliae citra Pharum impense cupere eodem perfrui Indulto, a felic. mem. Pio VI Praedecessore nostro per similes Apostolicas litteras die 21. Novembris 1780 concesso, cujus Indulti vi S. Francisci de Paula ipsius Ordinis Fundatoris festum cum octava in secundam Dominicam post Pascha Resurrect. D. N. J. C. fuit translatum.

Supplici ergo cum prece a Nobis efflagitavit, ut idem Indultum etiam Siciliae Regno citra Pharum concedere velimus. Nos igitur omnes, et singulos, quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, ac poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, ac absolutos fore censentes, hisce litteris Auctoritate Nostra Apostolica etiam pro Siciliae Regno citra Pharum ejusdem S. Francisci de Paula diem festum cum omnibus praerogativis Compatroni Principalis ad secundam Domin. post Pasch. Resurrect. D. N. J. C. perpetuo ita transferimus, ut omnes, et singuli tam Saeculares, quam Regulares utriusque sexus, qui horas Canonicas recitare tenentur, illius Officium, et Missam cum octava in posterum recitare, et celebrare debeant. Praeterea eadem Auctoritate Nostra Apostolica concedimus, ut utriusque sexus Religiosi ejusdem Ordinis S. Francisci de Paula Minimorum tantum hoc ipso Indulto ubique locorum ipsi sint, libere, et licite perfrui possint, ac valeant. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictasque perpetuis, futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et extraordinarios judicari, ac definiri debere, irritumque, et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et sanctionibus Apostolicis in contrarium praemissarum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis, illarum tenore praesentibus, pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 10. Mensis Maji 1839. Pontificatus nostri anno IX — Pro Domino Cardinali De Gregorio — A. Picchioni substitutus.

DECRETUM

Urbis, et Orbis.

Cum Eminentiss. et Reverendiss. Dom. Cardin. Despuig Titularis Ecclesiae S. Callisti, nomine etiam Eminentiss. et Reverendiss. D. Cardin. Pignatelli Titularis Ecclesiae S. Mariae Transtyberim, in qua requiescit corpus ejusdem S. Callisti ipsius Basilicae Fundatoris, nec non nomine Capituli, et Canonicorum memoratae Basilicae enixis precibus SS. Domino Nostro Pio VII. Pont. Maximo supplicaverit pro elevatione ritus in universa Ecclesia Catholica Officii praelaudati S. Callisti Papae, et Mart. a semidupl. ad ritum dupl. Beatiss. Pater jam a tempore, quo inter S. Rom. Ecclesiae Cardinales recensebatur, ac praedictae Ecclesiae S. Callisti Titulum obtinebat, peculiari devotionis sensu erga memoriam tanti Pontificis, qui Ecclesiam Dei sanctissimis institutionibus communivit, semper affectus, referente R. P. D. Hieronymo Napulionio Fidei Promotore, libenter annuit pro gratia, ac Officium saepe dicti S. Callisti in toto Orbe Catholico a ritu semiduplicis ad ritum duplicis minoris elevavit, illudque cum Lectionibus secundi Nocturni propriis, quibus utitur Sacrosancta Ecclesia Lateranensis, in posterum recitandum esse praecepit. Die 2. Septembris 1808.

A. Card. Matthaeus.

Loco ✠ Sigilli.

J. de Carpineo S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

Regnorum utriusque Siciliae.

Relatis per me infrascriptum Secretarium SS. Domino Nostro Pio Papa VI piis, enixisque precibus Serenissimi Ferdinandi IV. utriusque Siciliae Regis, quibus supplicabat, ut Officium, et Missam S. Ludovici Episcopi Tolosae de Communi Confess. Pontific. cum Oratione, et Lectionibus se-

cundi Nocturni propriis, jam pro Ordine Minorum S. Francisci Conventualium adprobatis, in posterum pro utroque Clero utriusque Siciliae sub Ritu Duplicis secundae Classis die decima nona Augusti extendere dignaretur: Sanctitas sua religiosae pietati, qua idem Serenissimus Rex praefatum Sanctum Episcopum prosequitur, annuens, petitam extensionem juxta preces benigne concessit. Die **30**. Septembris **1780.**

M. Card. Marefuscus Praefectus.

Loco ✠ *Sigilli.*

C. Airoldi S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

Regni Siciliae Citra Pharum dumtaxat.

Ad magis promovendum Cultum erga Beatos Antonium Primaldi, et Socios Martyres Hydruntinos, Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Ursinus nomine Serenissimi Ferdinandi IV. Utriusque Siciliae Regis Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papae XIV. enixe supplicavit, pro extensione Officii, et Missae de Comm. plur. Mart. cum Oratione, et Lectionibus secundi Nocturni propriis in memoriam eorumdem Beatorum, jam a Sanctitate sua die **21**. Julii **1772**. pro Civitate, et Dioecesi Hydruntina adprobatis, ad Utrumque Clerum omnium Dominiorum. Et Sanctitas sua, attentis circumstantiis animum suum moventibus, petitum Officium cum Missa sub ritu semiduplicis pro utroque Clero Regni Siciliae citra Pharum dumtaxat, servata Rubricarum dispositione, benigne concessit. Die **19**. Julii **1773**.

M. Card. Marefuscus Praefectus.

Loco ✠ *Sigilli.*

M. Gallo S. R. C. Secretarius.

Beatum Michaëlem Archangelum, quem suum Custodem et Patronum Dei veneratur Ecclesia, speciali cultu prosequuntur Fideles omnes Regni Utriusque Siciliae ob celebrem non minus Ipsius apparitionem in Monte Gargano intra fines Dioecesis Sypontinae, quam ob continua beneficia, queis, Ipso apud Deum intercedente, cumulantur. Quae singula grato, reverentique animó perpendens Serenissimus Ferdinandus Secundus Utriusque Siciliae Rex tum propriis, universaeque Familiae suae, tum etiam communibus subditorum suorum votis satisfacturus, id sumpsit consilii, ut in universis suis Dominiis in posterum festivam sub utroque praecepto institueret diem VIII Maji memoratae apparitioni Sancti Michaëlis Archangelis sacram, ac Apostolicam Confirmationem Sanctissimum Dominum nostrum Gregorium Papam XVI. enixis precibus rogavit. Hujusmodi votis a Sanctitate sua peramanter exceptis, referente me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne annuit juxta petita, nimirum, ut in universo, qua late patet, utriusque Siciliae Regno Festum apparitionis Sancti Michaëlis Archangeli Octavo Idus Maji incidens, deinceps restitui valeat sub utroque praecepto. Quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus. Die 23 Aprilis 1841 — Pro Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Pedicini Praefecto J. Cardin. Brignoli. — J. G. Fatati S. R. C. Secretarius

GREGORIUS PAPA XVI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nobis vel maxime optandum, ut omnes Christifideles Sanctissimam Dei Genitricem, eamdemque omnium nostrum amantissimam Matrem, eo quo par est Religionis, ac pietatis cultu venerentur, et singulari prosequantur amore, tum nihil profecto gratius, nihil potius, nihilque jucundius Nobis esse potest, quam omni studio ea peragere, quae ad ejusdem Deiparae Virginis honorem augendum, pietatemque fovendam pertinere posse cognoscimus. Quod

quidem si unquam alias, in hac praesertim tanta temporum iniquitate, tantaque Christianae Reipublicae perturbatione Nobis summopere praestandum, ut Augustissima Caeli Regina, quae super Angelorum Choros exaltata, penitus dilecta Deo, ac praesens tutela, et spes fidissima Catholicae Ecclesiae, terribilis, ut castrorum acies ordinata, cunctas semper profligavit haereses, atque apud Eum, quem genuit, sedula deprecatrix vere maternum in omnes gerens animum, pro Christiano Populo intercedere nunquam desinit in tot, ac tantis, quibus premimur angustiis, benigno nos vultu respicere, ac potentissima Sua ope juvare dignetur. Itaque pro summa, quam in Deiparam Virginem Patronam, et Advocatam nostram devotionem habemus, cujus praesentissimum praesidium semper experti, ex quo Caelesti sane rerum dispensatione ad Ecclesiae Navem, tot jactatam fluctibus, tot actam procellis, gubernandam evecti fuimus, singulari certe animi nostri laetitia eas potissimum postulationes excipere, illisque quam libentissime annuere solemus, quae ejusdem Dei Genitricis gloriam, atque honorem praeseferre videntur. Maxima igitur voluptate affecti fuimus, ubi accepimus Carissimum in Christo Filium Nostrum Ferdinandum utriusque Siciliae Regem Illustrem, peculiari in ipsam Deiparam Virginem pietate permotum, ejusque cultum Neapolitano in Regno magis magisque promovendi cupidum vehementer optare, ut dies secunda Julii, jam eodem in Regno Dei Genitrici, cui a gratiis nomen, sacra, inter solemnes de praecepto dies recenseatur. Quocirca supplici cum prece a Nobis efflagitavit, ut ejusmodi rei Auctoritate Nostra Apostolica consulere velimus. Nos ergo ejusdem Deiparae Virginis gloriam, ac devotionem majorem in modum ubique terrarum, quantum in Nobis est augere summopere cupientes, piis ejusdem Regis desideriis, alacri, libentique animo obsecundare existimavimus. Hisce itaque Litteris, Auctoritate Nostra Apostolica decernimus, praecipimus, atque mandamus, ut in utriusque Siciliae Regno dies secunda mensis Julii Deiparae Virgini Gratiarum titulo jam inibi sacra, ab omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quemadmodum alia Festa, perpetuo singulis quibusque annis de praecepto servetur, ac celebretur, ita tamen, ut ejusdem Regni Christifideles commemorata die non so-

lum Sacrum audiendi obligatione teneantur, verum etiam ab operibus servilibus omnino vacare debeant. Haec decernimus, statuimus, et mandamus, non obstantibus Constitutionibus, et Sanctionibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae hisce praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris XXX. Decembris MDCCCXXXV. Pontificatus vero Nostri Anno quinto. — E. Card. de Gregorio.

DECRETUM

Italiae, et adjacentium insularum.

Dilectus Deo, et hominibus S. Antoninus Florentinorum Antistes, quum ab ipsa jam pueritia illud sibi proposuerit, ut Deo plenissime adhaereret, ac in Domino spem ponens viam mandatorum ejus, alacri semper gressu percurreret, morum integritate, vitaeque sanctimonia promeruit, ut divinitus dirigeretur ad poenitentiam gentis, et tollendam abominationem impietatis. Siquidem gubernans ad Dominum cor suum optavit, et datus est illi sensus, ac spiritus sapientiae, omniaque bona pariter cum illa adeptus super salutem, et speciem illam dilexit, atque illius inextinguibili splendore adductus in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Pastorali dignitate, et officio cohonestatus, quasi Sol effulsit in templo Dei forma factus gregis, ex animo, ac sollicite attendens sibi, eidemque gregi, in quo Spiritus Sanctus eum posuit Episcopum regere Ecclesiam Dei, quam humani generis Redemptor acquisivit sanguine suo, curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione. Propter quod vigilans, sibique concreditorum fidelium commoda, et utilitates inquirens, vix dici potest, quantum prudentia, pietate, caritate, et sacerdotali zelo in hoc munere excelluerit non gloriandi, et dominandi, et acquirendi cupiditate, sed obediendi, et subveniendi, et Deo placendi caritate. Nil aliud scire, nisi Jesum Christum, et hunc Crucifixum

omnibus sive longe, sive prope fuissent, evangelizavit pacem, evangelizavit bona, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis, donec occurrit in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, et adeptus est coronam justitiae bono certamine legitime expleto, cursu integre consummato, ac fide sanctissime servata. Etsi insignis hujusmodi Viri nomen undique inclaruerit, ac penes omnes ejus memoria in benedictione permaneat, attamen ut ejus cultus magis, magisque augeatur nonnulli Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, non minus, quam plures amplissimi Antistites, ac in primis Reverendissimus Archiepiscopus Florent. cum Reverendissimo P. Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, cujus Institutum juvenis adhuc S. Antoninus amplexus est Santissimum Dominum Nostrum Gregorium XVI. Pontificem Maximum humillimis precibus instantissime efflagitarunt, ut Festum S. Antonini Episcopi Confessoris, quod jamdiu ab Universali Ecclesia cum Officio, et Missa sub ritu semiduplici instituitur, pro Clero tum Saeculari, tum Regulari, non exclusis cujuscumque Ordinis Sanctimonialibus ad Horas Canonicas persolvendas adstrictis, ad ritum duplicis minoris de speciali gratia elevare dignaretur. Enixis hujusmodi precibus a Sanctitate sua peramanter exceptis, referente me infrascripto S. R. Congregationis Secretario benigne annuit juxta petita, attamen pro Italia tantum, et Insulis adjacentibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Augusti 1844.

F. L. Card. Micara Episc. Ost., et Velit.
S. R. C. Praefectus.

Loco ✠ Sigilli

J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Puteolana.

Beatissimae Virginis Mariae cultum inter sibi commissos Fideles impensius Reverendissimus Puteolanus Episcopus promoturus Sanctissimo Domino nostro Gregorio XVI Pontifici Maximo humillimas preces porrexit, efflagitans, ut in sua Dioecesi in Litaniis Lauretanis post versum — *Regina Sanctorum omnium* — addi queat aliud Deiparae encomium, nimirum — *Regina sine labe concepta* — Sanctitas sua, referente me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne annuit, dummodo iisdem tam privati, quam publice aliud non addatur, nisi obtenta facultate a Sancta Sede Apostolica; quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus, ac praesertim Decreto felic. memor. Clementis Papae VIII diei 6. Septembris 1601. quibus in hoc casu Sanctitas sua pro hac vice derogatum voluit. Die 26. Junii 1843 — C. M Episcopus Portuensis Cardinalis Pedicinius, S R. E. Vice-Cancellarius, S. R. C. Praefectus — J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Puteolana.

Cum anno 1834 octavo Idus Septembris ad preces Eminentissimi, et Reverendissimi D. Cardinalis Archiepiscopi Hispalensis Sacra Rituum Congregatio benigne indulserit, ut illa in Archidioecesi deinceps Praefationi Missae Conceptionis Beatae Mariae Virginis adderetur verbum *Immaculata* — adeo ut legi valeret — *Et te in Conceptione Immaculata* — uti ex Apostolica concessione fieri assolet penes Ordines Sancti Francisci; Reverendissimus Puteolanus Episcopus Sanctissimo Domino nostro Gregorio XVI Pontifici Maximo supplicavit enixe, ut ad suam etiam Puteolanam Dioecesim idem Indultum de Apostolica benignitate extendere dignaretur. Hujusmodi precibus a Sanctitate sua clementer exceptis, referente me infrascripto Sacrorum Rituum ejusdem Congregationis Secretario, de speciali gratia benigne annuit juxta petita. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26. Junii 1843 — C. M. Episcopus Portuensis Cardinalis Pedicinius. S R. E. Vice-Cancellarius, S. R. C. Praefectus — J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Divote preghiere, che possono servire di apparecchio alle Festività de' gloriosi Martiri S. Procolo, e S. Gennaro Protettori Principali della Città, e Diocesi, e Titolari della Chiesa Cattedrale di Pozzuoli.

Preghiere da farsi nella Novena di S. Procolo, che comincia ai 7. di Novembre.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, etc.

O S. Procolo Protettore,
Beato martire del Signore,
Alla vostra gran potenza
Ricorriamo con confidenza.
Impetrate a questa città
Viva Fede, ferma speranza,
E perfetta Carità.

I. Vi adoriamo SS. Trinità, e vi ringraziamo colla faccia per terra per la virtù della Prudenza concessa al nostro Protettore, e Concittadino S. Procolo, e vi preghiamo per la sua intercessione a concederci questa virtù, affinchè sappiamo conoscere, e desiderare i veri beni del Cielo a somiglianza del nostro Santo. *Pater*, *Ave*, *Gloria*.

O S. Procolo Protettore etc.

II. Vi adoriamo SS. Trinità, e vi ringraziamo colla faccia per terra per la virtù della Temperanza concessa al nostro Protettore, e concittadino S. Procolo, e vi preghiamo per la sua intercessione a farci menare una vita sempre pura, e sobria in questa terra, onde abbattendo le nostre passioni, possiamo godervi col nostro Santo nel Cielo. *Pater*, *Ave*, *Gloria*.

O S. Procolo Protettore etc.

III. Vi adoriamo SS. Trinità, e vi ringraziamo colla faccia per terra per la virtù della Giustizia concessa al nostro

Protettore, e Concittadino S. Procolo, e vi preghiamo per la sua intercessione a farci menare una vita giusta, e santa; onde evitando ogni peccato, ed esercitandoci nelle virtù, ne abbiamo il premio eterno a somiglianza del nostro Santo. *Pater*, *Ave*, *Gloria*.

O S. Procolo Protettore, *etc.*

IV. Vi adoriamo SS. Trinità, e vi ringraziamo colla faccia per terra per la Fortezza concessa al nostro Protettore, e Concittadino S. Procolo; e vi preghiamo per la sua intercessione a volerci colla vostra grazia rendere coraggiosi in sostenere le afflizioni di questa vita, ed in resistere al nemico Infernale, onde ne ottenghiamo la corona da voi promessa a somiglianza del nostro Santo. *Pater*, *Ave*, *Gloria*.

O S. Procolo Protettore, *etc.*

V. Vi adoriamo SS. Trinità, e vi ringraziamo colla faccia per terra del dono di quella viva Fede conceduto al nostro Protettore, e Concittadino S. Procolo; e vi preghiamo per la sua intercessione a ravvivare, ed accrescere in noi il dono della S. Fede, che ricevemmo nel S. Battesimo, e farcela custodire illibata, e costante accompagnata da opere degne di veri, e buoni Cristiani a somiglianza del nostro Santo. *Pater*, *Ave*, *Gloria*.

O. S. Procolo Protettore, *etc.*

VI. Vi adoriamo, o SS. Trinità, e vi ringraziamo colla faccia per terra del dono di quella ferma Speranza conceduto al nostro Protettore, e Concittadino S. Procolo, e vi preghiamo per la sua intercessione ad accrescere in noi il dono della Speranza; che ricevemmo nel S. Battesimo, e col dispregio di tutti i beni del Mondo, farci aspirare ai veri beni della grazia, ed aspettare con fermezza i beni della gloria, a somiglianza del nostro Santo. *Pater*, *Ave*, *Gloria*.

O S. Procolo Protettore, *etc.*

VII. Vi adoriamo, o SS. Trinità, e vi ringraziamo colla faccia per terra del dono di quella perfetta Carità conceduto al nostro Protettore, e Concittadino S. Procolo; e vi preghiamo per la sua intercessione ad infiammarci sempre più nella S. Carità, che ci avete donata nel S. Battesimo, acciocchè perseverando nel Vostro S. Amore, e de' nostri prossimi, con odiare il peccato in terra, siam fatti degni di godervi, e di amarvi eternamente col nostro Santo nel Cielo. *Pater*, *Ave*, *Gloria*, *etc.*

O S. Procolo Protettore, *etc.*

Preghiera al Santo.

O Beatissimo Martire di Gesù Cristo, e Diacono di questa Chiesa S. Procolo Protettore, Avvocato, e Tutelare di questa vostra cara Patria, e Diocesi, noi ci rallegriamo con Voi della singolare gloria, che godete nel Cielo insieme con i vostri Santi compagni Eutichete, ed Acuzio in premio di quella viva Fede, ferma Speranza, e perfetta Carità, con cui serviste a Dio in vita, e col santo Martirio coronaste la preziosa morte. Noi vi preghiamo a spandere il vostro potente Patrocinio sopra questa Città, e Diocesi. Deh nostro grande, e caro Santo risguardate con occhio benefico quella terra fortunata, in cui nasceste, e viveste, che bagnaste anche col vostro sangue. Allontanatene ogni male, ed impetratele ogni bene; e sopratutto intercedeteci la grazia di vivere, e morire con Fede illibata, Speranza ferma, e Carità perfetta: e siccome ci avete arricchiti, e rallegrati in farci ottenere le vostre venerabili Ossa, delle quali da tanti secoli eravamo privi, così stando colle vostre S. Reliquie più vicino a noi in terra, dopo una santa morte fateci vicini a Voi, e Compagni nella Gloria. Così sia.

Antiph. *Hic est Fratrum Amator*, *hic est*, *qui multum orat pro populo suo.*

℣. Ora pro nobis Beate Pater Procule.

℟. Ut digni, etc.

Oremus.

Supplicationem populi tui Deus miserator exaudi, ut B. Proculi Levitae, et Martyris tui patrocinio sublevetur, cujus Commemoratione laetamur. Per Dominum, etc.

Responsorio di S. Procolo.

O Gloria di Pozzuoli,
San Procolo, noi figli
Siam tuoi, e ne' perigli
Fidiamo tutti a te.
A te qual nostro Padre,
A te qual difensore
Di noi, con tutto ardore
Corriam con viva fè.
Deh fa le nostre veci
Presso il divin Trono,
Impetraci ogni dono,
Accrescici ogni ben.
Per le tue sante preci
Lungi da questa terra
E peste, e fame, e guerra
Sian sempre, ed ogni mal.
Tu, ch' al Celeste regno
Tante anime acquistasti,
E tu da Dio impetrasti
Perpetua quì la fè.
Per le tue sante preci, etc.
O Gloria de' Leviti
Pe'l tuo martirio ha sede
Quì ancor la vera Fede,
E quanto abbiam di ben.
Per le tue sante preci, etc.
A Dio sia onore, e gloria
Del singolar tuo merito,
Che tanto quì a noi miseri
Pace, e soccorso dà.
Per le tue sante preci, etc.

Preghiere da farsi nella Novena di S. Gennaro V. e M. che comincia ai 10. Settembre.

℣. Deus in adjutorium meum intende, etc.

I.

O Glorioso S. Gennaro, Protettore nostro principalissimo, e germoglio specialissimo della nostra Patria, io vi ammiro ornato di tutte le più eroiche virtù, per le quali foste trascelto dalla Chiesa di Benevento per suo Pastore, ed indi dal Cielo per illustre Campione della nostra S. Fede, la quale con invitta costanza confessaste a fronte di crudelissimo tiranno, niente temendo le sue minacce, anzi offrendovi a soffrire qualunque strazio, pena, e tormento. Per questi vostri sì eccelsi meriti umilmente vi supplico di rendermi vero vostro divoto, ed imitare la vostra santa vita, e virilmente resistere ad ogni diabolica tentazione. Pater, Ave, Gloria.

II.

Oh! di quanto giubilo brilla il mio cuore, S. Gennaro mio glorioso, nel considerarvi così onorato dal Signore, che non restaste punto offeso tra le fiamme dell' ardente fornace di Nola, anzi neppur un capello, e l' orlo della vostra veste restò da quelle oltraggiato, e leso. Vi prego dunque custodite illesa anche l' anima mia dalle fiamme della prava concupiscenza, ed in fine poi ottenetemi, che non cada nelle fiamme dell' Inferno. Pater, Avè, Gloria.

III.

Benedico per mille volte, o Eroe di Santità Gennaro, quella invitta fortezza nel soffrire generosamente quel doloroso slogamento de' nervi, e giunture del vostro corpo crudelmente stirato sull' eculeo. Vi prego istantemente ad impetrarmi rassegnazione, e fortezza per soffrire pazientemente, quanto Dio disporrà mandarmi di travagli, e dolori in questa vita per la mia eterna salute. Pater, Ave, Gloria.

IV.

Rendo infinite grazie alla Divina Provvidenza, che si bene contraccambiò l'obbrobrioso scorno, che pretese farvi l'empio Timoteo nel condurvi ligato da Nola a Pozzuoli avanti del suo carro, o glorioso seguace del Redentore S. Gennaro, cogli applausi di tante Città, e Regni, che da per tutto innalzano nobilissimi obelischi, ed ergono sontuosi Tempj, ed Altari al vostro nome. Vi prego rendermi soave il giogo della Divina Legge, e per l'osservanza di quella fate, che volentieri soffra qualunque maldicenza, e persecuzione del Mondo iniquo. Pater, Ave, Gloria.

V.

Alzando le mani al Cielo invoco tutti gli Angeli dell'Empireo a meco benedire, e glorificare quella eccelsa Bontà del Signore, che si compiacque ammansire ai piedi vostri le arrabbiate fiere preparatevi nell'Anfiteatro di Pozzuoli per divorarvi vivo coi vostri santi Compagni, o trionfatore dei tormenti S. Gennaro. Vi supplico impetrate a me la necessaria mansuetudine nelle contrarietà, e vittoria sulle ribelli mie passioni. Pater, Ave, Gloria.

VI.

A' riverberi del vostro zelo, e della vostra carità, o Glorioso S. Gennaro, con cui restituiste la vista al crudele nemico Timoteo, ed otteneste la luce del Vangelo di G. C. a cinquemila infedeli, vi supplico ad impetrarmi l'amore verso dei miei nemici, e promuovere col buon' esempio le Cristiane virtù nei prossimi miei. Pater, Ave, Gloria.

VII.

Mi congratulo con Voi, o Gloriosissimo Martire S. Gennaro, che coronaste finalmente il martirio vostro col dare generosamente sotto una spada la vostra vita per la fede di G. C. e voleste, che col capo fosse anche reciso un dito per additarci, che non vi sia morire più glorioso, che

per Dio. Ottenetemi dunque, o mio gran Santo, il morire in grazia, ed amico di Dio col desiderio di morire ancora per amore, e gloria sua. Pater, Ave, Gloria.

VIII.

Mi compiaccio sommamente, mio S. Gennaro, di tutto quel gran giubilo, e festa, con cui fu accolta l' anima vostra beata dagli Angioli Santi nel Paradiso. E se io non posso intendere quale, e quanta sia la gloria, che ora godete nel Cielo, debbo però crederla grandissima, perchè grandissimi sono gli onori, che il Signore vi ha compartito, e vi comparte in terra. Rivolgete, vi prego, gli affetti miei verso del Cielo, acciocchè sospirando di godere di Voi, e della beata vista di Dio, per vostra intercessione felicemente vi giunga. Pater, Ave, Gloria.

IX.

Finalmente vi adoro, o Astro risplendentissimo del firmamento S. Gennaro, e rimiro, ed ammiro nel vostro incorrotto sangue ribollente alla presenza della vostra testa il vostro cuore redivivo, che a note di prodigj ne mostra un perpetuo desiderio di bel nuovo spargerlo, e di offrire la medesima testa ad esser mille volte recisa a gloria, e per amor di Dio, e della nostra santa Fede. Oh! e quanto di ciò si compiace di certo il Signore, e quanto giubilo reca a' nostri cuori. Vi preghiamo per sì alto sagrifizio, che di Voi offrite all' Altissimo, impetrateci l' affluenza di tutte le grazie; liquefate pure la durezza dei nostri cuori, rendeteci fedeli servi del Signore, e vostri veri divoti, nè cessate di proteggerci in tutti i nostri bisogni avanti il Trono altissimo del nostro Signore Iddio, Pater, Ave, Gloria.

RESPONSORIO DI S. GENNARO.

Vedi Gennaro, deh guarda
Pozzuol dal caso oppressa,
Mira, non è più dessa,
Mirala per pietà.

Vedi, che a nostro danno
Il Cielo, l'aria, e gli astri
Tentan mille disastri,
E tutto in peggio va.
Vincesti al fin l'Inferno
Col tuo martirio, e sangue:
Deh fa, che rest' esangue
Di Stige l'oste avar.
Non più minaccia il Cielo,
Non più trema la terra,
E cessa ancor la guerra
Al nome di Gennar.
Gennar da questa Patria
Nascesti a nuova vita;
Deh tu le porgi aita
De' mali contro al mar.
Non più minaccia il Cielo, etc.
Son queste mura asperse
Dal tuo sangue, e sudore,
Deh tu il divin furore
Fa lungi scaricar.
Non più minaccia il Cielo, etc.
Al Padre, e al Figlio gloria,
Ed allo Spirto Santo,
Che ti donaro il vanto
Di nostro difensor.
Non più minaccia il Cielo, etc.

℣. Ora pro nobis Beate Januari.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui per Beati Januarii Martyris tui, atque Pontificis confessionem, et sanguinem admirabili testimonio, ac triumpho Ecclesiae tuae fidem illustrare dignatus es: quaesumus, ut ejusdem nos fidei consortio, et patrocinio muniti, triumphi etiam, et gloriae participes efficias. Per Christum, etc.

FINE.

Napoli 25 Gennaro 1845.

Vista la dimanda del Tipografo Gennaro Agrelli, il quale desidera ristampare l'opera del Reverendo Sacerdote D. Giulio Sabbatino, intitolata: *Officia propria Sanctorum Ecclesiae Puteolanae; nec non alia ad Eamdem Ecclesiam novissime extensa.*

Visto il favorevole parere del Regio Revisore il sig. Canonico D. Andrea Ferrigni;

Si permette, che la suindicata opera si ristampi: però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser la impressione uniforme all'originale approvato.

Il Consultore Presidente
M. Mazzetti.

Il Seg. Generale, e Membro della Giunta
Gaspare Selvaggi.

INDEX

Officiorum, quae continentur in hoc libello cum adnotatione mensium, ac dierum, quibus recitantur, nec non paginarum, ubi reperiuntur.

Februarius.

Martius.

Aprilis.

Majus.

Junius.

Julius.

Augustus.

September.

October.

November.

December.